Martinus Jos: de Reider
Bambergae 1834 Sept.
ligat. 10 xr.

W·JACKSON

SCB
# 16,158

# DE IOANNIS CALVINI, MAGNI QVONDAM GENEVENSIVM MINISTRI, VITA, MORIBVS, rebus geſtis, ſtudijs, ac denique morte

# HISTORIA.

*AD REVERENDISSIMVM ARCHIEpiſcopum & Comitem Lugdunenſem, per Hieronymum Bolſecum, Medicum Lugdunenſem deſcripta:*

ET NVNC
Ex gallico eius Pariſijs impreſſo exemplari Latinè reddita.

COLONIAE,
Apud Ludouicum Alectorium & hæredes Iacobi Soteris.

ANNO M. D. LXXX.




2 PETRI. 2.

Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem Iudicij reſeruare cruciandos; magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentiæ immunditijs ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere, blaſphemantes.

# REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO, D. PETRO de Eſpinaco Archiepiſcopo ac Comiti Lugdunenſi, Franciæ Primati, ſalutem & omnem felicitatem exoptat Hieronymus Bolſec Medicus.

*ORATORES, qui clari vnquam fuerunt, eloquentiam, atque dicendi facultatem in ſuorum clientum defenſione, quam in reorum accuſatione exerere maluiſſe videntur. Et Ciceronis quidem, quas in accuſando conſumpſit, non alia ad nos ex omnibus eius orationibus actionibuſue peruenerunt, quam quibus Verrem, ciuem Romanum, qui inexplebili auaritia & intolerabili libidine Prouinciam Siciliam adminiſtrauerat, eſt perſecutus. Et ſurdo maledicendum etiam non eſſe, vulgo iactatum prouerbiũ eſt, quod vel de abſente vel de vita functo æque poteſt intelligi. Atque huc etiam pertinet, quod non minus vulgo dicitur, nimirum, vt poſt funera atque mortem laudes. Quorum hoc poſtremum tamen bene expenſum non eam vim habet, quod omnes omnino homines poſt mortem laudari debeant, ſed quod eos, qui præclaras & laudabiles actiones in vita ſunt ſectati, ob eas tamen viuos celebrari minus conueniat, non modo adulationis,*




IOANNES CALVINUS

iſt zu Noyon in der Piccardie A°. 1509. d. 10. Iul. gebohren, und zu Genev A°. 1564. d. 27. May geſtorben, u. allda begraben worden.

Seht hier Calvinum an! ſeht ſein ~~leb~~hafftes weßen!
Das hat des Künſtlers Hand in Schatten werck gebracht.
In ſeinen Bücheren wird man viel ~~gutes~~ leſen, böſes
Und ſehen, wie Er ſie mit groſem fleiſs gemacht
Darum Ihn ſeine Freund deß Pabſtes Ketzer nenen,
Die zu Calvini Lehr ſich offentlich bekennen.



JOANNES PROMTE ET SINCERE CALVINUS.

J. C. Böcklin sc.

# REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO, D. PETRO de Eſpinaco Archiepiſcopo ac Comiti Lugdunenſi, Franciæ Primati, ſalutem & omnem felicitatem exoptat Hieronymus Bolſec Medicus.

*ORATORES, qui clari vnquam fuerunt, eloquentiam, atque dicendi facultatem in ſuorum clientum defenſione, quam in reorum accuſatione exerere maluiſſe videntur. Et Ciceronis quidem, quas in accuſando conſumpſit, non alia ad nos ex omnibus eius orationibus actionibuſue peruenerunt, quam quibus Verrem, ciuem Romanum, qui inexplebili auaritia & intolerabili libidine Prouinciam Siciliam adminiſtrauerat, eſt perſecutus. Et ſurdo maledicendum etiam non eſſe, vulgo iactatum prouerbiũ eſt, quod vel de abſente vel de vita functo æque poteſt intelligi. Atque huc etiam pertinet, quod non minus vulgo dicitur, nimirum, vt poſt funera atque mortem laudes. Quorum hoc poſtremum tamen bene expenſum non eam vim habet, quod omnes omnino homines poſt mortem laudari debeant, ſed quod eos, qui præclaras & laudabiles actiones in vita ſunt ſectati, ob eas tamen viuos celebrari minus conueniat, non modo adulationis,*

*cuius hoc ſpeciem præſe ferret, euitandæ cauſa: ſed quod exitus finiſque ſit expectandus, qui finis opus coronare ſoleat, atque efficere, vt quæ bene quis ſeu male auſpicatus fuerit, approbationem accipiant. Quæ commemorare volui, quod non defuturos certo ſciam, qui his, quas dixi, rationibus permoti hoc meum ſtudium reprehenſuri ſint, & vitio daturi, quod vitioſas Ioannis Caluini Geneuenſis Miniſtri actiones plurimas, poſtquã eſſe deſiit, detegere & in apertum proferre voluerim, multoque aliter quam Theodorus Beza faciat eius diſcipulus & ſucceſſor in ea præfatione, quam Magiſtri commentario in Ioſue præfixit, de eius vita atque moribus narrationem contexuerim: Veruntamen in promptu habeo, qua contra maledicos & iniquos hoſce iudices me defendã ac tuear, Platonis ſententiam, Qui vitiorum ſordibus immerſus, bonus nihilominus vir cenſeatur & virtutibus ornatus, ac propterea in ſublimem honoris gradum ſubleuatus ſit, hunc maiori Rempub. clade afficere, ac plus in eam detrimenti inferre, quam alioquin alios in magno numero ad nihil vtiles ac pernitioſos ciues, quos improbos eſſe agnoſcunt omnes, neque alio loco habent. Nam animo atque cogitatione reuoluens incredibilem calamitatem, ac deplorandam miſeriam Franciæ, & finitimis Prouincijs illatã, in quibus vix aliquis credat, quantus numerus ſit rudium ſimpliciumque hominum, qui magna animi leuitate atque inconſtantia a vera ſanctaque Eccleſiæ ſe obedientia miſeri ſubtraxerunt, priſcorumque Patrum doctrinam deſeruerunt, vt Caluini ſe ſectæ manciparent ac deuouerent, nugaci impudentis Theodori Bezæ garrulitate atque mendacijs decepti, trãſuerſumque acti, qui eum omnes*

*nes Dei prophetas, Apoſtolos, & Domini noſtri Ieſu Chriſti diſcipulos, atque horum ſucceſſores, veros, ſinceros atque legitimos Eccleſiæ doctores vitæ ſanctimonia, atque honeſtate, omnique virtutũ genere ſuperaſſe, nugaciter contendit, continere me diutius non potui, ſed ſilentium abrumpere coactus ſum, vt eodem zelo atque ſpiritu, qui me Anno 1552. incitabat, vt præſens preſenti in eo, quẽ ipſi Geneuæ coegerãt, cœtu atque concilio palam reſiſterem, etiam nunc permotus & inſtigatus manum calamo admouerem, & Bezæ me obuium obijcerem, eiuſque mendacia confutarem, quibus in magnum diuinæ gloriæ præiudicium, & ad Eccleſiæ domus Dei euidentem ruinam, qui malitioſiſſimus Sathanæ miniſter fuit, eum ſyncerum ac præcellẽtem Dei ſeruum fuiſſe aſſerere ac prædicare eſt auſus. Deum autem teſtem appello, non me inuidia, priuatoque aduerſus quemquam illorum odio incitatum ad ſcribendum accedere, & Caluini quam enormia vitia & quam inſignis vitæ turpitudo fuerit contra Bezam explicanda mihi ſumpſiſſe, ſed Diuini honoris veritatiſque vindicandæ zelo partim, partim commiſeratione permotum, quam ex ſimplicium hominum, quos miſere deceperunt, ruina, atque interitu capiebam. Iam hoc quoque eundem teſtor Deum, nihil me hoc tractatu complexum, quod contra meam conſcientiam ſcriptum eſſe mihi conſcius ſim, ſed quæ ſcribo, omnia veritate niti, & vel ex tabulis ac teſtimonijs ea me manu ipſius Caluini conſcriptis deſumpſiſſe, vel referentibus maximæ auctoritatis viris cognouiſſe, vel meis oculis conſpexiſſe, manuque palpaſſe. Et meum quidem erat conſilium facere, vt multis ante annis hoc opuſculum in manus hominum*

minum lucemque veniret, niſi omnibus modis prohibitus, omneſque mihi viæ præcluſæ fuiſſent. Antiquum enim Dei ipſiuſque veritatis hoſtem apparet omne ſuum ſtudium in eo poſuiſſe, conatus, potentiamque ſuam omnem in eo exeruiſſe, vt me a propoſito retraheret, qui magna aduerſum me aduerſariorum coborte concitata quaſi vim intulit, coegitque illud huc vſque ſupprimere. Caluinianæ vero etiam ſectæ deditì, ac mancipati præter eas, quas vitæ meæ ſtruxerunt collocaruntque, inſidias atque tendiculas, continenter mihi bellum mouerunt, mouentque etiamnum, quibus hoc dant operam, vt me in inuidiam atque odium omnium quotquot ſunt hominum pertrahant, non ſolum per acres contra me conſcriptas inuectiuas, per varios aduerſum me latratus morſuſque, per multiplices impoſturas, quarum ſibi poſſeſſionem acquiſiuerunt, artemque publice profitentur, verum, etiam cum magno ipſorum probro, admodumq́; ſordide, literis clam tecteque confictis, atque ad ſuos confœderatos miſſis, quales mihi exhibitæ, mecumque frequenter communicatæ fuere. Quod ſi Dei dextera protectus confirmatuſque non fuiſſem, qui ſingulari ſua prouidentia inſignes pietate, fide, ac charitate viros ad meum auxilium præparauit, fieri aliter non potuiſſe plane certus ſum, quin calamitatibus hiſce in me nimis abundanter ingruentibus, deſperationis barathro totus inuoluerer atque abſorberer. Inter omnes autem, qui afflicto mihi magno ſolatio, anguſtijs preſſo, atque neceſſitatibus conſtricto auxilio fuerunt, multum tuæ Clementiæ & liberalitati obligatum conſtrictumque teneri me ſentio, agnoſco, diſerteque profiteor. Sed ne a propoſito diſcedam, cum hunc de

Caluini

*Caluini vita, moribus, ac morte libellum, a perquā multis Dominis amicisque meis rogatus & ſolicitatus, ad Dei Opt. Max. honorem, ad parentem mendaciorum eiuſque miniſtros pudore confundendos, veros autem fideles confirmandos, quiue miſere ſeducti ſunt, ſi hac eos gratia dignetur Deus, in viam reducendos, hoc tempore in lucem emittere decreuiſſem, cui commendare ac dedicare rectius, vel poſſem vel deberem nullus mihi occurrit, quam tu Reuerendiſſime Domine, qui inter Franciæ noſtræ Paſtores & generis nobilitate & doctrinæ laude excellis, ac Dei gloriæ, Eccleſiæq; reſtaurandæ zelo abundas, esque mirabiliter incenſus. Quapropter, Clementiſſime Domine, hoc a me oblatum leuidenſe munus conſueta beneuolentia ſuſcipias, tuoque fauore proſequaris, obnixe rogo, vt fultum ac ſuſtentatum eo fauoris tui præſidio lucem aſpicere & in manus hominum venire, aduerſariique ac hoſtes Dei veritatiſque magis percelli vehementiuſque pudore confundi ſic poſſint. Quorum nos audaciam, temerarios auſus, inquietas mentes atq; ſtudia per magni Dei infinitam potētiam, ſapientiam, iuſtitiam, bonitatemque repreſſa breui euerſaque oculis noſtris conſpecturos ſpem concipio. Cæterū beneuolentiæ me tuæ, Reuendiſſime Domine, ſubmiſſe ac ſincere commēdans, Deum precor, longa te vita ſanum diutiſſime dignetur, omneſque tibi felicitates, atque corporis ſimul ac animi bona, commodaue adaugeat atque multiplicet. Lugduni xxvi Iunij, Anno M. D. LXXVII.*

PRAE-

# PRAEFATIO AD LECTOREM.

RATIO, lector beneuole, illuſtre excellensque donum homini eſt præter cætera animantia collatum, ad cuius normã, cogitationes ſuas omnes, deſideria, actioneſque in hac corrupta rerum natura dirigat gubernetque. Quam qui ducem deſerit, vt peregrinas opiniones ſectetur, extemplò ſeductus, in infinitas ſtultitias tanquam auias vias ad omnis humanitatis expertes cogitationes, & ſtudia quaſi beluina abripitur. Quod, qui rerum naturas hominumque actiones ſcrutari ſolent, homines ſapientes, in ijs potiſſimum ſic euenire rectè obſeruarunt, qui, vt ſectis ſe peculiaribus emanciparent, ac plane aſtringerent, rationis vſum, &, quæ verè eſt, ſcientiam

tiam abiecerunt. Hi quippe in tantã cæcitatem prolabuntur, vt facultatum omnium, propinquorum, amicorumque, atque adeo famæ & existimationis ſuæ iacturam minoris faciant, quàm ſuis vt ſectis ſectarumque magiſtris quicquam derogari detrahiue patiantur: hi inſuper cæco & indiſcreto zelo ad ſectas, quibus ſunt addicti, fouendas, magiſtroſque ſuos, quos non vt homines, ſed tanquã Deos colunt obſeruantque, exaltandos, tam propenſo ſtudio feruntur, vt ad diriora deſignanda, quàm Antiochus vnquam Epiphanes, aut alius quis magis etiam impius perpetrarit, perduci ſe, pertrahique ſinant; velut dum arces atque oppida inuadere, templa & monaſteria ſpoliare, demoliri, incendere, aurea argenteaque vaſa, & dicata diuino cultui ornamen-

namenta diripere, virtutibus atque doctrina præcellentes viros è medio tollere, nulla religione abſterrentur. Quæ me res mouit, vt hunc tractatum edere voluerim, ex cuius lectione inſtrui omnes poſſent, quantum, qui ad Caluini ſe doctrinam contulerunt, cumque ſunt, ac ſi verus Dei miniſter & Propheta aliquis eſſet, amplexi, à rectà veritatis ſemita abducti ſint atque deflexerint. Quamuis autem certum hoc habeam, ex huius ſectæ ſchola exſurrecturum ſtatim aliquem, qui reſponſurus ad inſtar illius Paſſauantij aut Matagonis de Matagonibus ſannis me excipiat; ego tamen ſcommata eorum, riſus, ſannas, impoſturas, nihili facio, prorſuſque contemno; &, ſi vitam ac facultatem largiatur Deus, futurum ſpero, ne reſponſum,

& quod

&,quod aiunt, replicam deſiderent. Interea hoc exiguo labore meo, lector beneuole, quod tuo commodo facias, vtere. Deum Optimum Maximum rogo, vt ſuo tibi auxilio adeſſe, ac ſancto te ſpiritu illuſtrare dignetur.

## ERRATA ET OMISSA.

*PAg.1.lin.10.lege tanquam.pag.32.lin.25.lege quotquot ſunt eius ſimiles.pa.36.lin.10.lege* Guilielmo Farello*.pag.40.lin.6.lege a quibus nullis.pag 46.lin.2.lege ducentumuirali coacto.pag.48.lin.19.dele ita.pag.49.lin vlt.lege* D. Dauid*.pag.53.lin.24.lege ambitionis faſtus.pag.61.lin 8.dele ſe.pag.62.lin.fin.pro declarare lege oſtendere.pag 69.lin.5.dele vt.ibid.lin.11.lege vitam.pag 72.lin.4.lege valuiſſe.pag.74.lin.pen.lege viris cognita.pag.75.lin.10.lege.melius.pag.76.lin.1.dele ei.ibid.lin.5.dele.ſtatim.ibid.lin.15.lege eius.pa.109.lin.2.pro de lege ex.pag.114.lin.16.lege tribulation.eorum.pa.117.lin.2.lege emanarent.ibid.lin.24.lege eandẽ.pag.120 lin.1.lege doctum pag. 123.lin.25.lege ſpirituum Apoſtaſiæ.pag.126.lin.15.lege fiduciæ.pag 137.lin.10.lege adiungit.ibid.lin.vlt.lege euentum.*

Cætera diligens Lector ſuo marte haud grauatim reſtituere poterit.

## Authoris ad Lectorem.

*Iamdudum latui, & ſilui ſatis: Exeo tandem:*
*Et loquor intrepidus, Bezæ commenta reuincens*
*Falſa, quibus ſanctum Chriſti deturbat ouile.*
*Nitere doctrinæ Patrum veterum optime lector.*
*Pelle nouos impoſtores, qui toxica melle*
*Fucato obducunt. Cur vincit opinio verum?*

# IOANNIS CALVINI, MAGNI QVONDAM GENEVENSIVM MINIſtri, *vita, mores, res geſtæ, doctrina, ac denique mors, deſcripta per Hieronymum Hermes Bolſec, Medicum Lugdunenſem.*

## CAPVT I.

INTER omnes illas miſerias, quas poſt primi parentis noſtri lapſum mendatij pater, auctorque peccati in orbem inuexit, hęreſis nullo non æuo maximas ſemper turbas dedit, grauiſsimaſque ſeditiones atque diſcordias concitauit. Quod fœdum & horribile, pernicioſiſsimumque monſtrum, quia ex ſuperbo faſtu, atque ignorantia prognatum eſt, idcircò hæreticus vtriuſque vitij, taquã à proximis propinquis ad ſe deriuati, quaſi hæres ſuccedit. Quotquot enim fuerunt vnquam, & etiamnum ſunt hæretici maiorem ſibi faſtu ſuperbiaque turgidi, cùm probitatis tum virtutis laudem, quam qua præditi reuerà ſint, ſemper vendicant; vſque eò, vt & cæteros omnes à ſecta abhorrentes non ſolum contemptu & vituperio, verum capitali etiam o-

dio dignos exiſtiment, atque inſectentur; tanta verò etiam ignorantiæ cæcitate ſunt offuſi, vt ſuæ tantummodo opinioni, quam animo ſemel ſuoque cerebro impreſſerunt, mordicùs adhæreſcentes, diuelli ab ea nō poſsint, neque vllis rationibus ad veræ ſcientiæ veritatiſque lucem intuendam reduci. Et nullo quidem nō tempore, occaſione, aut oportunitate mendatij hic parens, paciſque & tranquillitatis publicæ hoſtis obnixè contendit ſemper, animorum inter homines vnionem turbatam diuellere, puramq; & ſynceram ipſius veri cognitionem tenebris inuolutam occultare. Nec tamen hic ego diuerſas Philoſophorum, & eorum, qui res naturales perſcrutari voluerunt, ſectas, neque varia idololatriæ genera inter Gentes ipſo auctore introducta commemorabo; ſed eas tantum, quæ inter Chriſtianæ religionis cultores ex ipſo ortæ ac propagatæ ſunt, ſectas attingā. In Iudæorum populo, Egeſippus vetus admodùm & religione Chriſtiana egregiè imbutus auctor, ſcriptum reliquit, ſeptem inter ſe diuerſas ſectas extitiſſe, Eſſenorum videlicet, Galilęorum, Hemerobaptiſtarum, Mesbuthenorum, Samaritanorum, Sadducæorum & Phariſæorum, qui omnes, vt opinione, ita etiam odio inter ſe diſsiderent. Poſtquam vero lex Euangelica recepta fuit, eiuſdem Sathanæ inſtinctu, maiori

iori etiam frequentia hæretici paſsim prodiere, exortique ſunt; ex quorū numero idem Egeſippus fuiſſe teſtatur Epiſcopum quendam, Theobutum nomine, qui primus Chriſtianos committere, & Eccleſiæ quietem falſis propoſitis theſibus, vaniſque opinionibus introductis turbare aggreſſus eſt. Secuti deinde ſunt, qui contra ὁμούσιαν DEI VERBI, & eandem, quam cum patre habet, æternitatem hæreſim inuexerunt; quorum alij clarè & apertè, alij obſcurè atque tectè diuinam in Chriſto naturam pernegarunt. Horum duces & Anteſignani fuere Cerinthus, Artemus, Paulus Samoſatenus, & poſt illos Arrius. Deinde quidā Carpocrates, eiuſque gregales, qui inter Chriſtianos omnia inter omnes communia eſſe oportere, atque adeò etiam vxores, tradiderunt; ſed ijdem quoque carnalium deſideriorum, voluptatumque effrenem licentiam confuſionéque inuexerūt, quam etiam ſectam per Anabaptiſtas noſtro hoc tempore Sathanas reſuſcitauit. Tertiò Ebion, eiuſq; ſocij Moſaicarum etiam cæremoniarum in Euangelica lege neceſſariam obſeruationem eſſe docuerunt, quod dogma magnorum in Eccleſia motuū cauſa extitit. Quarta fuit Baſilidis, Marcionis, Manetis ſecta, qui de cauſa peccati ratiocinantes, duo eſſe principia contraria inter ſe, eademque coęterna conclu-

ſerũt,bonum & malum, lucem atque tenebras; tum Stoicam quandam neceſsitatem in omnibus humanis actionibus bonis maliſue conſtituerunt. Quintus ex ordine Pelagius cum ſua hæreſi prodijt, qui bonis operibus meritiſque ſine Dei gratia ſalutem vitamque æternam hominem acquirere,ſibique procurare poſſe contendit. Ibi tum deinde magicis artibus imbuti præſtigiatores quàmplures & Sathanæ mancipia ſeſe vnà ingeſſerũt,qui idiotas & minus perſpicaces,prę ſtigijs & impoſturis ſuis magna frequentia ſeductos à Chriſti fide auerterunt. Quos ingens deinde aliorum phanaticorum caterua ſecuta eſt,qui varias,quales ſunt de ſpiritus ſancti proceſsione,de ſanctorum inuocatione,de noſtra pro defunctorũ animabus intercesſione, atque ſuffragijs,deque ſimilibus alijs controuerſijs, quæſtiones erroneaſque opiniones diſſeminarunt.

## CAPVT II.

CAETERVM noſtro hoc æuo cũdem illum Dei aduerſarium, & pacis atque Chriſtianæ concordiæ hoſtem apparet præcipuas potiſsimaſque ex ijs,quas recenſuimus,hæreſibus, falſiſque dogmatibus,quæ iam olim confutata fuere ac damnata, quaſi in vnam maſſam conflatas in Geneuenſe oppidum,rurſus inuexiſſe,idque Ioannis

Cal-

Caluini Nouiodunenſis opera atque ſtudio, hominis, ſi quiſquam vnquam alius fuit, ſuperbi, arrogantis, ambitioſi, crudelis, vindictæ cupidi & denique valdè imperiti; ſicut veris me viuiſque rationibus deinceps demonſtraturum ſpero; quamuis deeſſe non ignorem, qui aliter opinentur atque ſentiant; ij nimirum, qui Theodori Bezæ, Caluini in eadem ciuitate ad falſam eius doctrinam propagandam ſucceſſoris, mendaci ac ſucata friuolaque garrulitate circumuenti atque decepti doctrinam eius minus diligenter expenderunt. Subdolus enim atque impudens hic, loquaciſsimuſque nugator in ea ſua prefatione, quam Caluini commentario in Ioſue præmiſit, vitam, mores, res geſtas, mortem, denique huius ſui anteceſſoris deſcribens, eum quem magiſtrum, amicum parentemque ſuum nominat, ſuper omnes omninò homines in omni ſanctitatis atque ſcientiæ laude extollit, euehitque; & in narrationis ſuæ progreſſu affirmare hoc videtur, valdè Deũ Caluino ſuo obnoxium eſſe atque obligatum, tanquam honoris gloriæque diuinæ hoc tempore ſingulari vindici, & religionis Chriſtianæ vnico aſſertori, quo ſi fuiſſet deſtitutus, in ſummum Deus amittendæ ſuæ gloriæ, & religio, ne funditus deleretur, veniſſet diſcrimen. Hæc poſtquam ego commenta & execrandas blaſphemias latè cer-

nerem per Franciã vicinaſque Prouincias ſpargi, & credi paſſim, fidemque atque authoritatem iam obtinuiſſe, non ſine maximo diuini honoris prẹiudicio, Deique filij Domini noſtri Ieſu Chriſti ſumma iniuria contemptuque, plurimorum quoque idiotarum, quiue minus cauti eſſent, miſerrimo exitio, vt qui fallacibus huiuſmodi & ſubdolis impoſturis circumuenti captique ſanctæ Eccleſiæ matris gregem cateruatim deſererent, & ad ſectam, atque erroneam Caluini doctrinam ſe adiungerent, hunc libellum in lucem edidi, vt clarum facerẽ, quis & qualis iſte Caluinus fuerit, quantumque aberrarint, falſique ſint, qui ob eam, quam de eius virtute, morum ſanctitate, doctrinæque præſtantia opinionem conceperant, leuitate quadam, inconſideratoque & imprudenti zelo eius ſectam & doctrinam ſic ſunt amplexi, vt ſe ei quaſi deuouerent & aſtringerent. Ergo reiecta in aliud opus, quod propediem poſt hoc ſequetur, vita ipſius Bezæ, & quemadmodum laſciuus poeta per omnis generis vitia & turpes voluptates volutatus, repente Doctor factus ad diuinã ſcripturam, &, quæ inter cœteras difficilima eſt, & maximi momenti, D. Pauli ad Romanos Epiſtolam interpretandam acceſſerit, his inquam in aliud opus dilatis, nunc honorificos illi titulos, quibus ſuum Beza parentem,

magiſtrum, amicum affecit falſòque exornauit, detrahere, ac ſimul omnia his, quæ à Beza affinguntur, contraria in ipſo hæſiſſe commonſtrare conabor: Deum teſtatus, omneſque cœleſtis regni ciues & quotquot ſani iudicij ſunt homines, nihil me neque ira, neque inuidentia, maleuolentiaue concitatum, tranſuerſùmque actum, vel præter veritatem, vel cõtra conſcientiam dicturum ſcripturumue; exiſtimare autem, ſecus ſi faciam, & diutius hoc opuſculum ſupprimam, diuini beneficij immemorem, etiam conſcientiæ reluctaturum fuiſſe. Antehac enim diu eſt, quod emendationis reformationiſque alicuius ſpes me, ne facerem, retraxerit; qua fruſtrari me, & in deterius res magis ac magis indies prolabi & veritatẽ mendacio obnubilari cum animaduerterem, diuturno deſiderio meo ſatisfacere tandẽ conſcientia vrgente ſum coactus.

CAPVT III.

INſignis ille Philoſophus Plato, qui excellentibus à Deo Opt. maximo ingenij dotibus exornatus fuit, Rẽpub. conſtituit, cui timorem atque verecundiam præfecit. & præclarè quidèm; niſi enim ad cuſtodiam ciuitatis hi cuſtodes inuigilent, modeſtiam tueri admodum eſt difficile. Nã ſimulatque illi vel indormiſcũt, vel ſe planè

ſubducunt, omnia peſſum eunt, & vnuſquiſque à recta ſemita aberrans, rationis terminos egreditur; ita quidem, vt cum barbariſsimis & omnium immaniſsimis, immo cum ipſis dęmonibus, ſi mendacia pallianda, veritas obſcuranda ſeu ſupprimenda ſit, certare atque contendere poſsint. At verò Theodorum Bezam pudorem atque verecundiam procul à ſe omnem exterminaſſe, cum ex alijs eius ſcriptis reluceat, tum in ea præfatione, quam diximus, clariſsime ipſus declarauit, in qua ex diametro cum veritate pugnantia, perſuadere tamen contendit, magiſtrumque ſuum, parentem atque amicum, quaſi in cælum laudibus efferre conatur, non aliter ac ſi omnes retrò homines in omni virtutum atque doctrinarum genere poſt ſe longè reliquerit. Inter cæteras verò dotes, quas ipſi affingit, admirabilem illi manſuetudinem & benignitatem attribuit, & ad ignoſcẽdum, à quibus læſus eſſet, ſupra modum facilem fuiſſe prędicat: quamuis animo valde iracundo, & maligno fuerit; & ita quidem obſtinatè maligno, vt quas ſemel contra quem iras concepiſſet, nunquàm deponeret. Teſtimonio eſſe poteſt de Michaele Villanouano Medico, cui Serueto cognomen etiam fuit, hiſtoria, homine arrogantiſsimo et inſolentiſsimo; quod, qui eo vſi in Charlieu ſunt, vbi ſub annum circiter 1540. apud

apud Riuoire eſt commoratus, teſtari poſſunt. Inde ex Charlieu ob ea,quæ illic ſtolidè & inſolenter deſignauerat, migrare coactus in Delphinatum conceſsit. Ex quo loco ad Caluinum Geneuæ commorantem, (fuit hoc anno 1546.) literas ſcripſit, & vnà librum manu deſcriptum, cum triginta epiſtolis ſuis miſit,in quibus Caluinum de erroribus, quos ex eius de doctrina Chriſtiana inſtitutionum alijſque libris collegerat,cum non leui eius & quod profitebatur dogmatis nota admonebat.Quam eius reprehenſionem iniquisſime ferens immortale aduerſus Seruetum odium concepit & necem ei machinatus eſt.Nam hoc eum animo fuiſſe literæ fidem faciũt, quas Idibus Februarijs eodẽ ipſo anno ad Petrum Viretum Lauſannæ tum commorantem manu ſua ſcriptas dedit,quarum hæc fuit inſcriptio: *Eximio Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruo Petro Vireto, Lauſannenſis Eccleſiæ Paſtori, Symmiſtæ chariſſimo.* Inter cætera autem quæ in illa epiſtola de Serueto ſunt, hęc ſcribit etiam: *Seruetus cupit huc venire, ſed a me accerſitus. Ego autem nunquam committam, vt fidem meam eatenus obſtrictam habeat. Iam enim conſtitutum habeo, ſi veniat, nunquam pati, vt ſaluus exeat.* Hæccine, rogo vos, verba ſunt hominis vſque adeò manſueti, vſque adeò benigni, vſque adeò ad condonandas iniurias facilis? Dei plane volun-

tate accidit, quòd hæc epiſtola ad meas manus delata ſit, quam ego multis admodum honoratis viris ſæpè oſtendi, & etiamnum, vbi eadem ſit, noui. Cæterùm parum foret verbis eum à Chriſtiana pietate alienis vſum fuiſſe, ſi non etiam effectum ea ſuum ſortita eſſent. Nam omnes poſteà modos perueſtigauit, quibus homini nocere, necemque procurare poſſet; & ſcripſit idcircò ad R. Dominum Cardinalem Turnonium, eo ipſo tempore Regis per Galliam vices gerentem, Seruetum de hæreſi accuſans; Vnde Cardinalis in riſum vehementer ſolutus; Hæreticus, aiebat, hic hæreticum accuſat. Has quoque literas, & mihi, & pluribus alijs illuſtriſsimi Cardinalis Secretarius Dominus de Gaure oſtendit. Sed eodem quoque tempore à Caluino inſtigatus Guilielmus Trie, de eadem re Lugdunum atque Viennam literas miſit, factumque hinc eſt, vt in carcerem Seruetus abriperetur, ex quo tamen ipſe poſtea elapſus eſt.

## CAPVT IIII.

Elapſus igitur Viennæ ex cuſtodia Seruetus, indeque fuga ſe proripiẽs Anno 1553. in Italiam, idque Geneua, iter habuit. Erat autem dies Dominicus is, quo Geneuam ingreſſus eſt, neque cogitabat illic ſubſiſtere, ſed metu Caluini progredi

gredi, niſi ſecuritatem ſibi eo die per ſtatuta & priuilegia ciuitatis fuiſſet pollicitus; Sed hæc quidem priuilegia Caluinus nihil moratus, ſimulac certior de aduentu in vrbem Serueti factus eſt, Nicolaum miniſtrum ſuum accuſatorem ſubmiſit, qui ipſum in ius vocaret, & poſtri die Antonium fratrem ſuum, qui pro miniſtro cautionē interponeret, ſubornauit; atque adeò tanto feruore tamque ardenti ſtudio ipſe, eiuſque ſocij neci eius procurandæ inſtiterunt, vt viuus lento igne exuſtus tum fuerit, cum huius adeò manſueti, adeò ad condonandas offenſas facilis parentis, magiſtri, & amici Theodori Bezæ permagno deſiderio & voluptate. Non ſum neſcius hic, me idem reſponſum relaturū, quod Caluinus ipſe ad ſe purgandum attulit in eo libello, quem cōtra errores Serueti poſt eius necem conſcripſit. Nam cū animaduerteret, multos hac cæde, quæ Geneuæ facta eſſet, offenſos, eo, quod nō ita pridem librum in lucem emiſiſſet, in quo, Hereticos eſſe è medio tollēdos, pernegauerat, vt inuidiam declinaret, librum, quem dixi, contra Serueti errores conſcripſit, Scabinos, Magiſtratum atque Iudices Geneuenſes, ſeque ipſum ſeueræ huius animaduerſionis authores eſſe, pernegans. Neque enim Geneuenſes, ſed Eccleſias Tigurinam, Bernenſem & Baſilæenſem capitalem contra

Serue-

Seruetum ſententiam ſcripſiſſe, Geneuenſeſque,ſic ipſe aſſirmat,executores latæ ab illis Eccleſijs ſententiæ tantummodò extitiſſe; quod valde friuolum & manifeſtè ſalſum eſſe, ex eo ipſo libro deprehendas licet,in quo inter cætera mortis ſupplicium per Tigurinas Eccleſias ipſi Serueto decretum eſſe aſſeruit.Nam,vt cuiuis,inquit,conſtare poſsit, me verum dicere,literas hic Procerum Tigurenſium proferā,quæ, vt breues ſimus,teſtimonio eſſe queant,& cæterarum omnium, quæ eiuſdem argumenti ſunt, loco.Sic Caluinus.At, qui librum hunc de Serueti morte & erroribus euoluit, & diligenter, quas producit,Tigurenſium contra Seruetum literas examinat,nihil in eis reperiet grauius,neque quod de eius nece dictum videri poſſet, quàm hoc tantummodò, quod ſequitur; *Veſtrum ſit videre,quomodo temeritatem Hominis huius coerceatis.* An hic vlla mortis ſententia? Non hæc ideò ſcribo,quòd cædem turpiſsimi monſtroſiſsimique hęretici,qualis Seruetus fuit,improbem.Is enim omnium,quotquot viuuunt,peſſimus fuit & indignus planè, qui in hominum ſocietate verſaretur, eſtque hoc mihi in votis quàm maximè;vt quotquot ſunt eius exterminatos,Eccleſiamq; viperis peſtibusq; huiuſmodi purgatam videre poſsimus. Sed huiuſce rei cauſa hoc vrgendum putaui,vt Sathanæ aſtum

ob

ob oculos ponerem, qui, vt ſimplices, rudes, & nimium credulos decipere poſſet, elegantē nobis præſtigiatorem ſuſcitauit, quem ſic inſtruxit, vt hominem improbiſsimum aliàs, immaniſsimumque & vindictæ cupidiſsimum, ſpecioſis titulis, tanquàm ſummè benignum, clemētem, & in cōdonandis iniurijs facilem extolleret, ornaret, fingeret. Sed malicioſi ipſius ingenij ex eadem ad Viretum epiſtola manifeſtum etiam extat indicium aliud, his verbis expreſſum. *Vnum prætererieram, Petrum Ameum Chartularium teneri mea cauſa in carcere iam vltra quindecim dies. Nunc crudelitatis accuſor a quibuſdam, quod vltionem tam obſtinato animo proſequar. Rogatus ſum, vt me velim deprecatorem interponere. Negaui, me id facturum, donec mihi cōſtet, quibus me calumnijs grauauerit.* Hæccine hominis manſueti, clementis, benigni, iniuriarum immemoris ac facilis ad ignoſcendum, qualem ſacer ille Propheta Beza deſcripſit, verba ſunt & ſententiæ?

## CAPVT V.

SED nimium his immorati ſumus, vlterius porrò progrediendum eſt in vita actionibuſque Caluini contemplandis, quem probitatis morūque & doctrinæ laudibus Beza tantopere extulit. Eius itaque mores primùm actioneſque ſpectemus, deinde quæ doctrina fuerit, videbimus.

mus. Nihil iam de natiuitate dicam, quæ in annum 1509. incidit, quo Nouioduni Picardiæ in lucem editus eſt; neque etiam commemorabo de patre eius Gerardo Cauuino aliud, niſi impium hominem fuiſſe, & in Deum maximè blaſphemum, quod de illo teſtimonium præcipui aliquot ciues Nouiodunenſes interrogati perhibuerunt, Notariuſque legalis in publicas tabulas retulit, quarum exemplum cuidam Bartelier, Dominij Senatuſque Geneuenſis Secretario, Nouiodunum huiuſce rei gratia, vt in vitam atque mores Caluinini inquireret, &, qualis adoleſcens fuiſſet exploraret, præcipue miſſo, eſt impertitus. Quod ego teſtimonium publicum apud hunc vidi, & in ipſiuſmet manibus inſpexi, & idcirco, vt rem veriſsimam, commemorare poſſum. In quo quidem teſtimonio etiam hoc erat adiectum, Caluinum, cum curatum illic beneficium, & aliud Sacelli cuiuſdam ſacerdotium obtineret, Sodomitici ſceleris conuictum in vitæ diſcrimen veniſſe, vt igni, quæ huiuſmodi ſceleris ordinaria & legitima eſt pœna, concremaretur; Cæterùm Epiſcopi vrbis cõmiſeratione pœnam moderatam, vt cauterio candens eius humero lilium inureretur. Quo probro confuſus, neque talem ignominiam ferens, vtrunque Eccleſiaſticum beneficium in paſtorem Nouiodunen-

ſem

ſem tranſtulit, & ab eo certa pecuniæ ſumma accepta, in Germaniam, deinde in Italiam profectus eſt, fortunæ, ſi quam ſibi propitiam inuenire poſſet, ſe permittens. Illic tum Ferraria iter faciens, à Ferrarienſi Duce eleemoſyna donatus eſt. Cæterùm ſilentio præterire nolo Nouioduno diſcedentem, cognomine immutato, Caluinum ſe pro Cauuino vocitaſſe, ſiue imprudentem, ſiue conſulto & de induſtria, ſuis quia hoc nomen moribus conueniret, quibus malignum illum & vindictæ cupidiſsimum Caluinum expreſsit, cui Iuuenalis, cùm in eum xiij. Satyram ſcriberet, hunc verſum tribuit. *At vindicta bonum, quo non felicius vllum.* Sed fuit etiam, cum ſe Carolum de Heppe aut Happe oppidò appellaret, & in omnibus literis ſubſcriberet.

CAPVT

## CAPVT VI.

NON eſt verò nobis in hoc amæno itinere ſubſiſtendum, ad eius in Geneuenſem vrbem ingreſſum, qui in annum circiter 1537. incidit, progrediamur, ſubtiles eius machinationes & ſtudia ſpectaturi. Hic in ſeditioſorum & ad res nouas procliuium Miniſtrorum, quorum ipſe ſimilis erat, ordinem cooptatus, ſtatim pòſt, cæteris in eadem vrbe Miniſtris collegis ſuis Gulielmo, Farello & alteri cuidam Courault diem Dominicum in Veneris, & illius in hunc ferias transferendas eſſe, cœnamque pane fermentato, non autem, ſicut hactenus vbique conſueuiſſet, azymo adminiſtrandam, quod magnum id ad Papatus exitium momentum allaturum eſſet, expoſuit, perſuaſitque; ita vt ei vterque eius ſocius eodem, quo ipſe, ſpiritu agitatus ſtatim aſſenſerit, iunctique ſimul libellum ſupplicem, quo vtrunque poſtularetur, Senatui porrexerint: Senatus autem, antequam quicquã decerneretur, id ad Bernenſes vicinos, ſuoſque ſocios & fœderatos referendum cenſuerunt. Miſsi nuncij ſunt, & reſponſum fuit, nihil facilè innouandum videri, neque antiquas conſuetudines temere infringendas, quod ad nihil aliud, quam ad non neceſſarias offenſiones ſine fructu aliquo excitandas valeat; nihilominus

ominus daturos ſe operã, propediẽ vt Synodus Lauſannæ ad vtrunque hunc articulum diſcutiendum coeat; vbi quicquid concludatur decernaturque, hoc obſeruãdum eſſe. Hoc reſpōſo accepto tres illi Miniſtri Farellus, Caluinus & Courault à Senatu vocati fuere, vbi lectis Bernenſium literis amicè rogati ſunt, Bernenſium Dominorum conſilio acquieſcere, nihilque nouare vellent. Caluinus improbari ſententiam ſuam non ferens, & omnes idcircò vias rationeſque, quemadmodum voti compos fieri poſſet, perſcrutatus, cum vtroque ſuo collega deliberat; qui tandem, turbarum inter ciues & diſcordiarum ſemina ſpargenda, plebemque, ſatis alioqui ad ſeditiones pronam, aduerſus Syndicos, gubernatores, & minoris Concilij Proceres commouendã, ſtatuunt; certa ſpe freti, in eiuſmodi vrbis atque ciuium diſcordia, dum nemo contra ſe obijceret, hoc, quod conſtituiſſent, conſequi ſe atque exequi poſſe.

## CAPVT VII.

INterea accidit, vt menſe Februario Anno 1537. quidã Legier Peſchaut, & alij diſſoluti & laſciui aliquot adoleſcentes, ciuium filij, quòd per vrbem, die quodam ex pileis floſculorum loco

porrum geſtantes vagabundi diſcurriſſent, ad carcerem traherentur. Hos Farellus in carcere inuiſens duris admodum verbis obiurgat, multiſque iniurijs onerat; erat enim homo ſupra modum iracundus, immoderatique & intemperantis ingenij, cuius rei, qui illo aliquando vſi ſunt, teſtes eſſe poſſunt. Proceres vero cùm maturius ſecum, quod à captiuis adoleſcentibus deſignatum erat, ex iuuenili leuitate commiſſum eſſe expenderent, verbis ſeriò admonitos atque obiurgatos relaxarunt. Hanc miniſtri occaſionem vociferandi, & pro concione in magiſtratum inuehendi cupide arripuerunt. Inter cæteros Courault gladiatoriè ſe in ſuggeſtu iactans, infinita in eos conuitia atque probra cõijciebat. Decimo die Martij, qui erat Dominicus, quo etiã frequens Senatus côuocatus erat, Riuis Caluinus pro concione in hęc verba prorupit: Senatus ſeu Concilium, quod habendum eſſet, Diaboli concilium eſſe, pluraque alia probra fædaque conuitia in ipſos Proceres Dominoſque euomuit, ſeditioni ac tumultui ſic viam ſternens. Hæc ego quaſi ad verbum ex libro Rubro, qui in Curia ciuitatis aſſeruatur, exſcripta recito, exemplumque eius, ſi quis cupiat inſpicere, etiamnum, vbi ſit, ſcio. Duodecimo Martij allatæ ſunt à Bernenſibus Dominis literæ ad Geneuenſes, quibus

bus nunciabatur Synodum, de qua anteà perſcripſiſſent, ad vltimum eiuſdem menſis diem Lauſannæ indictã. Quæ literæ Farello & Caluino, eam ob cauſam in curiam à Senatu vocatis, lectæ ſunt, ijſque vt ad eam irent mandatum fuit; quos etiam, ne ſic amplius in concionibus publicè magiſtratum proſcinderent ac probris onerarent, amicè obteſtati ſunt: ſed ſi quos vitijs obnoxios, quorum vita eſſet improba, noſſent, eos, poſtquam quod ipſorum muneris eſſet, fraterne ſecundum Euangelicam doctrinam increpaſſent, ſicq; illi corrigi nollent, ad magiſtratum deferrent; qui officio ſuo non defuturus, ſed pœnis à lege præſcriptis delinquentes atque noxios coerciturus eſſet. Quæ illorum exhortationes atque preces non tantum apud Farellum, Caluinum & Courault, miniſtros habuerunt ponderis, vt debacchari & aduerſus Dominos ſuos vociferari, eoſque maledictis proſcindere deſiſterent. Tandem itaque minas addiderunt, graueſque ijs, ni deſiſterent, pœnas interminati ſunt: ſed hoc quoque fruſtra fuit, & ne quidem edictis illis, miniſque terreri aut à maledicendo abduci potuerunt. Omnium vero maximè Courault inſolentibus admodùm mordacibuſque in eos verbis inuectus, ebrioſos porcos appellabat, immò verò maioribus iniurijs proſcindebat.

## CAPVT VIII.

EIuſdem menſis viceſimo ſexto die electus ex ſenatu, qui ad Synodũ Lauſannenſem Legatus Geneuenſium nomine proficiſceretur, Ioannes Philippinus, addita, pro ſe duobuſque miniſtris, Farello & Caluino, qui, vt dictum eſt, ad Synodum etiam abire iuſsi fuerant, pecunia. Qui, tametſi Lauſannam quidem venerint, ſuperbia tamen faſtuque turgidi, nunquam aliorum miniſtrorum congregationi intereſſe voluere; ita quidem, vt ocioſè intra extraque oppidum obcrrantes, ne ſemel quidem in eorum cœtu comparuerint. Iudicent iam hic æqui, & ſani rerum æſtimatores, quo huiuſmodi homines ſpiritu agitati fuerint. Dominico die, ſeptimo ſcilicet Aprilis, Courault pro concione multo etiam petulantius in ipſos Dominos vociferando debacchatus, & in hæc verba prorumpens, Syndici, inquiebat, noſtri cereos pedes habẽt; & paulò pòſt, nihil aliud exiſtimare Syndicos ſibique de regno Dei perſuaſum habere, quàm ranarũ regnum eſſe. Eiuſdem menſis decimo nono die à Bernenſib. literæ allatæ fuerunt, quibus rogabant Geneuenſes, dare operam vellent, ne ab Eccleſiarum ſuarum ritibus diſcederent; ſed cæremonias & ſtatuta, in ſuperiori Lauſannenſi Synodo ordinata, ſequerentur. Farellus & Calui-

Caluinus vocati ad Senatum,aderant,cùm hæ literæ legerentur,quos deinde rogare non deſtiterunt, ne quid nouare, ſed iiſdem plane, quibus Bernenſes Eccleſiæ, ritibus vti vellent, quippe quos Geneuenſis Reſpub. obſeruaturam ſe eſſet pollicita. Ac quoniam non diſsimulabant,indicijſque è ſuggeſtu quibuſdam, dum verba ad populum facerent,non ſe pariturosſatis innuebant,additæ aliæ preces ſunt, rogatique,tantum biduo pòſt,xxj. Aprilis die,in ſolenni Paſchæ feſto (Anni gratiæ xxxviij. initium hoc erat) à nouandis rebus abſtinerent. Quod ſi facerent,daturos ſe operam polliciti ſunt vt in ea Synodo, quæ Tiguri ante Pèteco ſten celebranda eſſet,eorum ratio,eiuſq;, quod ipſi poſtulaſſent,haberetur.

## CAPVT IX.

EO,quem dixi,xix.Aprilis die ad Præfectos de Gez & Ternier hæc relata res eſt, & cum eis de ea communicatum, qui,in cæremonijs & cœnę adminiſtratione vna eademque per omnia ratio vt obſeruaretur,neue aliqua mutatio fieret, daturos ſe operam ſunt polliciti.Et quidem quòd eo mane Courault poſt amicas,& ſingulari ex affectu profectas obteſtationes,quibus ſæpe tum ipſe, tum eius quoque ſocij ſollicitati fuerant, ſpre-

tis etiam ſeueris illis, ne in magiſtratum inuehe-rentur, neuè opprobrijs hũc & iniurijs inceſſe-rent amplius, edictis, maiori quàm vnquam in-ſolentia in eos declamauerat, cõcionandi offi-cio, atque munere ei tum interdixerunt. Et eo-dem die is, quem vocant Galli le grand Saultier Farellum & Caluinum in ſuis quemque ædi-bus etiam conuenit, ex Senatus ſententia man-datoque, vt ne alio, quàm Eccleſiæ Bernenſes conſueuiſſent, modo cœnam exhiberent, & ne quicquam innouare vellent, rogaturus. Cui di-ſertè rotundiſque verbis parituros ſe, & quæ Bernenſes ordinaſſent, obſeruaturos pernega-runt; idque illorum reſponſum ipſe ad Sena-tum retulit. At Courault contrà, quam ei pri-diè mandatum fuerat, in Paſchæ Vigilijs, xx. A-prilis die, ad S. Seruatium ſuggeſtu conſcenſo, maiores in magiſtratum, quam vnquam iniuri-as & contumelias effudit. Ob quam contuma-cem rebellionem in carcerem abductus eſt. Quod ſimulac Farello & Caluino fuiſſet re-nunciatum, ad Senatores in curiam ingreſsi, inter alia nimis quam arroganter & perau-dacter prolata verba, quæ Chriſtianam mo-deſtiam minime decebant, Farellus pleno ſtomacho in hos ſermones prorupit; Factum ab illis nequiter atque improbè, ſicut eſſent etiam nefarij, improbi, & iniqui, quorum

conſilio, atque opera in vincula coniectus Courault eſſet, quiue hoc factum approbarent. Quas tantas iniurias & contumelias, licet in ipſius Concilij conſeſſu in præſentes Dominos protuliſſent, rogati nihilominus iterum ſunt humaniſsimè, Bernenſibus vt Dominis morem gererent: Sed iterum illi expreſſe negarunt & domum quiſque ſuam reuerſi ſunt. Nihilominus Proceres metu valdè conſternati, ne, ſi aliter, quàm conſueuiſſent & Bernenſes fœderati atque ſocij eorum vellent probaſſentque, cœna adminiſtraretur, cōfuſionis turbationiſque inter ciues fomentum hoc atque cauſa eſſet, etiam tertiò magnum Saultier ad Farellum & Caluinum miſerunt, vt hoc ab eis contenderet; Sed conſtanter rotundèque etiam tertiò recuſarunt. Cæterum Dominis neque hoc ſatis fuit, ſed cum omnes ſibi vias incundas cenſuiſſent, quibus à ciuitate, cui præerant, tumultum auerterent, & ad Bernenſium ſe voluntatem, quo ad ſacrorum in ſuis quoque Eccleſijs ritum conformantes, in eorum amicitia perſiſtere poſſent; hoc etiam quartum conſilium cœperunt, vt Dominum Ludouicum Diesbachium, apud Bernenſes nobilitate generis clarum, admodumq; honoratũ & magnæ auctoritatis

virum, qui tum forte ſub meridiem Geneuam ingreſſus erat, adirent. Quem, poſtquam ei Bernenſium literas de ijſdem retinendis ritibus exhibuiſſent, & ſimul proteruam obſtinatamque miniſtrorum ſuorum, Farelli & Caluini, rebellionem, à nullis hoc precibus impetrari poſſet, expoſuiſſent, rogarunt, dignaretur ipſe quoque ad hanc in cæremonijs concordiam eos exhortari, &, ne quam tumultuandi ciuibus viciniſque ſubſannandi occaſionem dare vellent, commonefacere. Quid miniſtri autem Farellus Caluinuſque, tantine viri auctoritati ceſſerūt? minimè hoc quidem; ſed neque Domini de Diesbach ratione vlla habita, certè nō maiori, quam qui hoc antea ſollicitarant, in obſtinatione ſua perſtiterūt, nihil ſe facturos plane profeſsi. Atque eccum tibi præclarum & illuſtre eius, quam Beza inter ſanctum diuinumque Paulum, & ſuum parentem, magiſtrum, amicum Caluinum inſtituit, comparationis exemplum, argumentumque. Et illius quidem hæc vox eſt; quis conturbatur inter vos, & ego non vror? Hic autem vniuerſam videt Ciuitatem commoueri propter eam, quam introducere nitebatur conſuetorum rituum mutationem; quæ inde inter Bernenſes & Geneuenſes prouenire inimicitiæ poſſent, huius oculis proponuntur, neque quicquam mouetur ſic tamen;

ſed

ſed manet totus inexorabilis, obſtinatuſque perſiſtit. Quid eſt, ſi non Diabolica hæc eſt & infernalis obſtinatio? Veſtrum, quicunque eſtis viri boni, & cordati, iudicium appello.

## CAPVT X.

HAnc duorum miniſtrorum tantam animi duritiem & obſtinatam contumaciam poſtquàm Syndici atque magiſtratus perſpexiſſent, ſui eſſe muneris crediderũt, ne qua mutatio in cœnæ, quæ poſtridie adminiſtrãda erat, cæremonijs fieret, prouidere, &, quę hinc exoriri poſſet, offenſioni obuiam ire, ideoque concionandi prouinciam per vrbem, & quantum Geneuẽſium ſe extenderet iuriſdictio, illis ademptam, cuidam Henrico Mario, vt is poſtridie, ipſo Paſchæ feſto, & concionaretur, & cœnam diſtribueret, mandarunt. De quo Farellus et Caluinus certiores redditi, Marium hunc domi ſuæ conuenerunt, & infinitis in eum probris coniectis, quem arrogantem, temerarium, ſuperbum vocitabant, tantum qui officium tantamq́ue functionem accipere & vſurpare auſus fuiſſet, non ſolum duris verbis increparunt, verùm eiectum inſuper extra fidelium reformati illius Euãgelij cœtum excommunicarunt, & anathemate percelluerunt, ſeuero Dei

iudicio, &,quam comminabantur, ſempiterna damnatione, hoc ſi munus ſuſcepiſſet, propoſitis. Quibus tam atrocibus minis perculſus miſer hic Marius, pollicetur, minimè ſe facturum, neque fecit; poſtridie enim non eſt repertus, cum ſe vel abdidiſſet aliquo, vel peregre extra vrbem profectus eſſet. Farellus autem & Caluinus, quod edicto prohibiti fuerant, hic in Riuo, ille ad S. Seruatium ſuggeſtum conſcendunt, at cœnam non diſtribuunt. Vnde grauiter vrbana vicinaque plebs, quæ ad cœnam participandam conuenerat, offenſa, tumultuari cœpit. Quin vt ſeditionem concitarent, contraque magiſtratum & gubernatores plebem commouerent, mille illos opprobrijs, mille cõtumelijs inceſſerunt, artificio, ſi, quod res eſt, fatendum ſit, vere Diabolico, & ex odiorum, diſcordiarum tumultuũque parentis, antiqui hoſtis, officina producto eiuſque vafriciem redolente. Theodorus Beza quidem, in magiſtri ſui, parentis & amici gratiam in ea, quam diximus, perbella præfatione ſecus multo de hac re loquitur, totamque hanc Hiſtoriam, cuius me authenticum exemplum vidiſſe, & etiamnum, vbi extet, & vnde repeti queat, nouiſſe, affirmare poſſum, præterit, ſimpliciter proſcriptum narrans, & cauſam addens, quia in ea vrbe, quæ tumultu, turbis, factionibus mirè diuiſa, & in

qua

qua tanta omniũ rerum confuſio eſſet, cœnam diſpenſare recuſaſſet. Sed hic eius prætextus nimis eſt leuiter tinctus atque adumbratus, quippe cum ſatis conſtet, hos eius conatus, hũc ſcopum, hoc præcipuum deſiderium fuiſſe, vt cœnam fermentato pane miniſtrandi nouum morem introduceret. Quod deſiderium ſuum animo poſteà ſemper quaſi occluſum occultumque tenuit, donec proximis hiſce annis, quando per aliquot Franciæ loca concionari ſuæ ſectæ hominibus indultum fuit, manifeſtè declararet, à quo tempore, ipſo auctore, in illis locis, in hanc vſque horam ſic ea per miniſtros diſpenſatur; eandemque nouam rationem Geneuam reuerſus, introduxiſſet, niſi Geneuenſibus deliberatum conſtitutumque fuiſſet, à Bernatium Eccleſiarum conſuetudine cœremonijſque non diſcedere. Quo licet animo eſſent, cauere tamen non potuerunt, quo minus multa Caluinus pro arbitrio mutaret innouaretque, contrà quàm apud Bernenſes in vſu & conſuetudine eſſent; tam erat ad mutandas nouandaſque res propenſus. Exempla ſint; quod Mercurij diem feſtum eſſe voluerit, vſque dum concioni finis eſſet impoſitus: quod Bernenſes non ſequuntur, qui idcirco quaſi illudentes Mercurij hunc diem, feſtum Caluini per iocum appellant: deinde, quod

Nati-

Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti, Circumciſionis, Annuntiationis, Aſcenſionis feſta abrogauit, quæ Bernenſes in ſuis prouincijs obſeruant, & ab omnibus obſeruari mandāt, pœnis contrà tranſgreſſores, qui per illorum prouincias atque dominia opus tum exerceant, cõſtitutis; quales contra Geneuæ ijs, qui officinas tabernaſque occluſerint, neque opus illis diebus exercuerint, infliguntur, quos etiam carceribus mancipāt: tertiò, q̃d conſtituit, ne hoc ipſo Natalis Domini feſto, vel Geneuæ, vel in parœcijs Geneuæ ſubiectis cœna diſtribueretur, ſed Dominico, quí hanc proximè, vel præcederet, vel ſequeretur, quod etiamnum hodiè ſic obſeruant omnes Eccleſiæ, quæ Caluino, eiuſque Religioni mordicùs adhærent; Bernenſes contrà antiquā ſuam conſuetudinem retinēt: Iam quartò, eſtnè ab illo introductum, q̃ Geneuæ primo Dominico die, qui menſe Septēbri occurrit, cœna porrigatur, q̃ neque Bernenſes, neque Cantones reliqui, à quibus ſacrificium eſt abrogatum, ſequuntur. Silentio prætereo eam, quæ eſt in Sacramento Baptiſmi, in cæremonijs diuerſitatem, pluresque alias ineptias, quarum primus inuentor idcirco haberi voluit, vt maior cæteris excellentiorque videretur, ſeque ſupra alios efferre poſſet; nimirum qui inſtituerit ordinaritque multa melius, quam in

alijs

alijs locis alij, qui ſe etiam reformatæ Religio-
nis eſſe profiterentur, ordinaſſent. Hinc eſt,
quod parœcias Bernenſium anguſtas popinas,
miniſtros Caupones appellare conſueuerit.
Quod tum faciebat præcipuè, cum vel in fami-
liari colloquio, vel per literas Geneuã aliquos
ptrahere niteretur. Cuiuſmodi me eius literas
vidiſſe palam profiteri poſſum, quas Domino
de Fallais, cum is Argentorati eſſet, deſtinaue-
rat. En tibi autem eius verba. *Si, ait, cogitas, tibique
in animo eſt, in hos Sabaudiæ fines ſecedere, meum eſt cõ-
ſilium, ne in Bernenſium prouinciæ ſubſiſtas, vbi non ſunt,
niſi male ordinatæ popinæ & miniſtri vt plurimum Cau-
pones, ſed Geneuam ſi te conferas, quam ad inſtar Hieru-
ſalem aliquã, viris doctrina & multarum virtutum ſplẽ-
dore clariſsimis mirifice exornatam intueberis, incredibi-
le gaudium conſolationemque es percepturus.* Vt con-
cludam ergo, màiora aggreſſus eſt Beza, quàm
efficere & præſtare queat, qui ſe exiſtimauit ho-
minibus per ſuas nugas poſſe, tanquam incan-
tationes aliquas, ſonum inducere, vel tenebras
eorum oculis offundere, veritatemque compo-
ſitis ad fallendum verbis obſcurare.

## CAPVT XI.

COgnoſcenda vero ſunt, quæ circa ip
ſam Caluini proſcriptionem conti-
gerunt, eaque ex libro Rubro, in quẽ
ea relatata ſunt, depromemus: Poſtri-
die

diè Paſchæ, xxij. Aprilis, Concilio ducentũmvirali, coacto, relatũ de Farello & Caluino ad plenum eſt, quàm illi frequenter ſcilicet admoniti, quàm amicis ſæpè precibus ſolicitati fuerint, quibus contemptis, non ſolum inexorabiles, ſed obſtinati, rebelles atque edictorum Senatus per intolerabilem contumaciam tranſgreſſores permanſerint, vt hæc à nobis ſunt paulo antè expoſita. Sed Magiſter Henricus Marius, quem diximus, quæ ad ipſum pertinebant, & quas illi iniurias, quaſue minas intentaſſent, minime etiam diſsimulabat. Qubus omnibus diligenter ponderatis in hoc ducentumuirali Concilio atq; cœtu deliberatum concluſumque fuit, vt Farellus, Caluinus & Couraultus propter ſummam obſtinationem & contumacem arrogantiam vrbe, dominioque Geneuenſi excederent & in exiliũ irent; cœremoniæ autem vſu & conſuetudine per Bernenſium Eccleſias receptæ & in poſtrema Lauſannenſi Synodo comprobatæ in Eccleſia Geneuenſi etiam & huic ſubditis parœcijs nihil immutatæ obſeruarẽtur. Poſtero die in pleno Senatu, ſiue generali, quale tũ habitũ fuit, Concilio decretum, rata vt haberentur, quæ pridie ducentum viri deliberaſſent. Farellus autem & Caluinus, qui ſe in ædes ſuas abdiderant, proſcriptionis huius ſuæ nuncio accepto, & certiores

reddi-

redditi, plebem contra ipſos valde concitatam, clam vrbe exceſſerunt, & fuga ſibi magna celeritate conſuluerunt. Hæc vera & ſyncera Caluinianæ proſcriptionis cauſa eſt. Quis enim non plus fidei accommodandum magiſtratui, ijſque tabulis cenſeat, quas ex huius mandato publicus & Ordinarius Secretarius confeciſſet, quàm priuato alicui homini, amore & ſtudio eius, de quo teſtimonium ſcribere velit, nimium incenſo? præſertim, ſi eius quoque priuati vita & mores nota non careant? Sed huius hominis vitam, res geſtas ac mores amplè & ad viuum propediem deſcripturum me, quod ante quoque ſum pollicitus, ſpero, bonam à bonis ſynceriſque viris, ab alijs ei doctrinæ planè immerſis malam proculdubio gratiam initurus. Nunc quemadmodum Geneuam reuerſus ſit, dicendum, quã rem Beza aliter etiam & contrario, quam geſta eſt, modo deſcribit, quod quidem optimi graueſque viri non ignorant. Nam literis, quas ad primarios Geneuenſis Reipublicæ viros frequentes magna cum importunitate ſcripſit, direxitque, nomen tamen multorum, qui apud Germanos in exiſtimatione erant, tanquam ab eis ſcriptæ eſſent, ementitus, & cautè atque ſubtiliter excogitatis, huiuſcemodi artibus tantum pro-

promouit, vt earum importunitate victi Geneuenſes, d inquirendum reuocandumque eum ſuos miſerint. Vnde, quod Beza de hoc eius reditu ſcribit, contra animi ſui ſententiam Geneuam eum reuerſum, conſenſumque eius, Dei iudicio, niſi huic vocationi pareret, propoſito, extorquendum fuiſſe, nugæ ſunt, logi ſunt, atque fabulæ, ad decipiendum incautos & nimiùm credulos ſimplicesque idiotas excogitatæ; quales nugationes infinitas alias intermiſcet, vt parentem, magiſtrum & amicum ſuum laudando extollat; nimirum, quod Argentorati tanquam theſaurus aliquis à doctis receptus ſit; quod Theologiam cum magna omnium admiratione illic ſit profeſſus; quod inter præcipuos Theologos, qui ad VVormatienſe & Ratiſbonenſe, Imperialia comitia, proficiſceretur, omnium, qui per Germaniã ſunt, Theologorum calculo ac ſuffragijs delectus ſit; ita quod Melancthon etiam tunc nõ aliter, quàm Theologum cognominauerit, ſingulari hoc cum honore dignatus: quod Senatus Argentoratẽſis ægre illum dimiſerit: quod Ciuitatis iure donatum præbendæ reditus retinere voluerint, quos profeſsionis ſalarium ipſi attribuerant: quod hoc tamen ab omni cupiditate alieniſſimus facere recuſarit, neque, vt vel quantum denarius eſt, ex eis ſibi ſeruaret, ab eo impetrare potuerint.

tuerint. Et mille ſimiles ineptias ad incautos & ſimplices ineſcandos capiendoſque intermiſcet, quas ego prætereo; Sed ei nonnihil immorari libet, quod tanta cum impudentia affirmat exemplo S. Pauli ſuis ipſius expenſis Eccleſiæ ipſum inſeruiuiſſe. Nam ſecus ſe rem habere, norunt omnes, quibus ipſe notus fuit, quiue cum eo Geneuæ ſunt verſati. Principio centum coronati annui ipſius ſalarium erant. Deinde à typographis, quorum in imprimendis ſuis operibus opera vtebatur, in ſingulas ſiue paginas ſiue ſolia eius monetæ binos aſſes auferebat. Tertiò, pauperum peculium atque loculi eius fidei commiſsi erant; in eos autē bonæ pecuniæ ſummę inferebātur. Nā præter quater millenos Francos, quos vno tempore Nauarræ Regina, iam vita functa, Franciſci primi quondam Regis ſoror, eò miſerat, etiam ipſa Ferrariæ Dux ſatis amplam aliam ſummam, tum plures alij nobiles viri atque fœminæ ſuam quique conferebant: non deerant & mercatorum collationes hoc fine factæ, vt lanificium illic, arte lanei panni conficiendi in Geneuam introducta, inſtitueretur. Hunc enim rumorem Caluinus ad inſidiandum pecuniæ, eamque ad ſe attrahendum commodum atque accommodatum longè lateque ſparſerat. Quartò, Geneuæ è viuis exceſsit quidam, cui nomen P. Dauid, Hanno-

nienſis, qui Geneuam religionis illius ſtudio commigrârat. Moriturus autem bis mille coronatos pauperibus teſtaméto reliquit, executoribus huius ſuæ voluntatis deſignatis Hannonienſi quodam, Maldonallum eum vocabant, & altero Sainct-Andrea, qui vel erat tum, vel breui pòſt Geneuenſis miniſter eſt factus, & Caluino; cui, cum eſſet peculij pauperum adminiſtrator & quaſi quæſtor, tradita comiſſaque fuere duo hæc coronatorum millia. Ex qua ſumma quingenti inter ſummè intimos eius amicos diſtributi fuere; Vireto viginti quinque, Farello viginti, & ſuæ quæque portiones, quẽ dixi Maldanallo, Sainct-Andreę, alijſq; adnumeratæ; quid vero mille quingentis actum, & in quos vſus expenſi ſint, quis facile dixerit? explorare hoc ſanè nullus poterat. Vnde pauperum magnæ querelæ exaudiebantur, ſed qui paulo liberiorem vocem ederent proſcripti ſtatim & Geneua excedere ſunt coacti, tanquam qui Libertini, vel athei fuiſſent; vulgaria enim hæc erant crimina his impingi obijciq́ue ſolita, qui Dominũ meum, quomodo Caluinum vocabãt, quauis in re offendiſſent cõtriſtaſſentq́;. Cęterũ ex cuiuſdam Nicolai de Fer egregio facinore ſatis detecta, & in lucem prolata ejus auaritia eſt, neque ea bonos prudẽteſq́; viros latere amplius tum potuit. Nam hic Antuerpiæ

bonis

bonis cedens, creditoribus triũ millium librarum deluſis, cum Geneuã profugiſſet, Caluino ſe adiunxit, eique rem omnem ſuaque negotia plenè expoſuit, conſilium rogans, quidnam faciendum ſuaderet, ſi eum creditores ſui Geneuam vſque inſequerentur; Caluinus conſilium dat, immobilia bona ex hac pecunia vxori, duabuſque ſuis filiabus vt cõpararet: Sic enim præcluſum creditoribus viam iri quicquã ab ipſo auferendi, cuius ſuum nihil inuenirent. Maritos deinde illis quæreret, qui contra creditores infeſtantes auxilio eſſe poſſent. Acquieuit conſilio Nicolaus; vtque plus fidei, fauoris atque gratiæ Geneuę obtineret, munus inſigne multorum coronatorum bono huic Domino Caluino offert, qui tantus bonorum fluxorum contemptor, minimè eos tamen ſpreuit, ſed cupidè arripuit. Deinde vt altera filiarum fratri ſuo Anthonio Caluino nuberet, operá dedit. Quid hic dicis? Videſne ſatis, quemadmodum venerabilis hic Dominus caducas & fluxas opes, quod illi Theodorus Beza elogium tribuit, contemnendas duxerit? Veruntamen quomodo poterit hic Caluini laudum tantus buccinator occultum tenere factum adoleſcentis illius prouincialis, qui Caluini miniſter facti infectique argenti ad quater millenos Francos ab eo furto abſtulit & profugit? Nam

&is rumor intra & extra vrbem diuulgatus ita fuit, vt in ore omnium eſſet. Et ipſe honoris ſui cauſa, pecuniam hanc apud ſe depoſitam, ſparſit poſtea ab ijs exteris, qui Geneuam habitátum venerant vel venire cogitaſſent: ſit ita ſanè, ſi eſſe poteſt; ſed admodum tamen hoc mirum fuit, quod quamuis amici operam ſuam offerrent, permittere tamen, vt quiſquam eum inſequeretur, nunquam voluit; quia metueret forſan, ne comprehenſus puer & reductus ea proferret, quæ ad eius honorem parum facerent. Hinc grauis ſuſpicio nata, ne abuſus puero fuerit; ſuſpicionem enim adiuuat, quod Nouioduni ab eo perpetratum ſupra memorauimus. Cuius tamen rei iudicium Deo relinquam, qui, erit tempus, cum tenebris obrutas ſecretaſque res in lucem proferet.

## CAPVT XII.

AD illud redeo, quod Theodorus Beza in ſua illa præfatione pronunciat, ſe, ſi minimam ambitionis alicuius ſignificationem, quæ in ſuo magiſtro, patre & amico Caluino reſediſſet, quis edere notareque poſſet, manus daturum, & damnari ambitionis paſſurum; edam igitur & oculis ſubijciã plurima, eaque minime leuia ambitionis argumenta. Imprimis ignominioſam illam pœnam proferam, quam ipſi perſoluere

uere debuit quidam Petrus Ameau, quem nudum, induſio tantummodo tectum, cum tæda ardente in mânu, quia malè de ipſo locutus eſſet, ad veniam rogandam ſupplicem venire oportuit. Quæ autem de eo locutus fuerat, alia non fuerunt, niſi quod domi ſuæ cœnans cum amicis aliquot ſuis, illis mirum in modum doctrinam Caluini efferentibus, hęc ipſa verba regereret: *Nimium vos huic homini tribuitis, & minus bene facitis, quod eũ vſqueadeo efferatis. Vos eum ſupra omnes Prophetas, Apoſtolos, &, qui vnquam fuerunt, Doctores collocatis: Sed non eſt is ſane, quem eſſe vultis, quippe qui cum bonis ſaniſque ſententijs, quas profert, etiam ſatis cornutas & friuolas nonnunquam commiſcet.* Reſpondeat mihi (interrogare enim hoc libet) hic Theodorus Beza, vel qui doctrinæ ſe Caluini deuouerunt, ipſi penitus addicti, miſelline hominis incarcerationem ſollicitare, tantaque obſtinatione procurare atque vrgere, vt exemplari mulctæ irrogatione damnatus infamaretur, tædiferique habitu per ora vulgi traduceretur, aminine demiſsi & humilis indicium eſt, eiuſque hominis, qui gloriam fluxosque honores aſpernetur? an vero euidens ambitionis faſtus, inanemque gloriam miſerè aucupantis argumentum eſt? Dicere poſſent, non hoc eſſe factum Caluino ſollicitante neque vrgente, vt qui ſummè clemẽs, benignus, & ad ſi-

bi illatas iniurias cōdonandas mirè fuerit facilis ſemper, niſi rem ſe aliter habere ex eius literis conſtaret, quas Idibus Februarijs Anno 1546. ad Viretū miſit, ex quibus quædā ſuprà exſcripſi, & eaſdē, cum opus erit, ſua ipſius manu exaratas exhibere queo; hæ ſanè abundè teſtatum faciunt, Caluinum, vt caperetur, authorem fuiſſe, neque hanc illi noxam condonare, neq; dimitti, niſi hac pœna, quā dixi, caſtigatum voluiſſe. Quæ hæc ambitio? tantane & tam barbara arrogantia in miniſtrum verbi Dei cadere poteſt, vt vetet, nolitque permittere, de ſe quemquam, quod ſentiat, liberè eloqui? Et hoc quidem argumentum, ſi non ſatis virium habet, ad ambitioſum eius animum cōuincendum, dicant mihi rurſus, humiliſne & abiecti animi vanamque gloriam fugientis hoc ſignum ſit, quod ſui effigiem fieri, publicéq; per vrbem erigi, ex collo etiam ſtolidulorum quorūdam, tam virorum, quam fœminarum, à quibus tantū non vt Deus eſt habitus, geſtari patienter tulerit; eſtne etiam hoc humilitatis abiectionis & vanæ gloriæ cōtemptus egregium ſignum? Neget Beza, alijq; ſectæ ſocij conſcio hæc Caluino ſacta eſſe, at ego Deum teſtem appello, contra veritatem & reclamante cōſcientia, ſi quidem faciant, negare. Quippe cum vulgare & publicum hoc Geneuæ eſſet, paſsimque fieret, fuitque per bonos

aliquot

aliquot magnique nominis & authoritatis viros verbis idcirco reprehenſus. Sed fuit etiã per literas admonitus, cum ipſe damnaſſet, deijciq; mandaſſet Sanctorum, Mariæ virginis, & ipſiuſmet Chriſti imagines, minimè decere, neque honori verti poſſe, ſuam quod earum loco erigi in publico & ex collo geſtari ſineret: Ieſu enim Chriſti magis, ſi quæ erigẽda geſtandaque ſit, hunc honorem mereri. Ad quas literas nihil reſpondit, niſi hoc tantum, ſi cui idcirco ægrè ſit, eum ſe prohibere non poſſe, quin inuidia rumpatur. Tertiũ vana gloria & ambitione occupati animi argumentũ eſto, quod corrigi, reprehendi, ſuorum errorum admoneri, opinionẽ ſuam confutari nollet, neq; ferre poſſet. Clarum huius rei inter cætera hoc exemplum recitabo. Fuerat Dominico quodã die ad prandiũ, ſiue epululũ, quod in eius gratiam erat apparatum, per cuiuſdam extra vrbem parœciæ miniſtrũ inuitatus, vbi etiam alij aliquot eius amici, qui Religionem illam cõplexi, Geneuam cõmigrârant, vocati aderant. Inter prandendũ factũ eſt, vt de electione miniſtrorum ſermo eſſet. De qua qui quódã Tholoſanus cõſiliarius & ex iuris cognitione prudentiaq; magnã erat laudem cõſecutus, Dominus de S. Germano liberè ſuã ſententiã tũ dixit, ſibi videri à populo miniſtrũ eligendũ conſtituendũq; venire. Quẽ ſermonẽ

Caluinus,qui hāc ſuam eſſe authoritatem vo-lebat vſurpabatq́ue, eos miniſterio admouere, qui ſibi probarentur & quos ipſe vellet, grauiter accepit,& per ſummam indignationem ſurgit de menſa, nulloque alio verbo prolato, equum ſeu mulam poſcit,& è veſtigio,nihil moratus, domum reuertitur, omni hoc epuli apparatu deſerto, ipſiſque cōuiuis in ſumma perturbatione relictis. Poſtridiè Dominum hunc S.Germani,vt conſiſtorio,quod ad proximum Iouis diem indictū erat,ſe ſiſteret, citari iuſsit; qui moleſte admodum ferens, ſic ſe tractari, & ad conſiſtorium, tanquam mœchum aliquem vel adulterum,quales illic cauſam dicere ſolerēt, euocari, ad Baronem Ausbonnenſem, qui prius Epiſcopus Montiſalbani fuerat, curſorem ſuum cum litteris mittit. Qui ſimulac Geneuam eſſet ingreſſus,Caluinum ſtatim adijt, neque potuit tamen vllis, quantumuis amicis ac blandis ſermonibus,neque intimo ex affectu interpoſitis precibus durum eius cor emolliri, adeoq́ue ad dictum Iouis diem Dominum de S.Germano ad cauſam dicendam venire in cōſiſtorium oportuit. A conſiſtorialibus autem in curiam ad minoris Concilij Senatores remiſſus eſt,qui,tantū abeſt vt pœnam ei decernerent,vt multo magis reueriti ſint,beneuolētiæ & amoris ſigna exhibuerint & cum honore dimiſſum roga-

rogauerint, in priſtina vitæ ſuæ ratione, qua multis illuſtre probitatis exemplũ præiret, perſeuerare porrò vellet. Quod poſtquam Caluinus reſciuit, parum abfuit, quin præ animi dolore contabeſceret. At Baro Ausbonnenſis domum reuertitur, malè erga Caluinum affectus, neque cohibere ſe potuit, vt non apud Galliæ nobiles, qui Religionis eius ſtudio in iſtam prouinciam venerant, hoc quereretur. Ex quorũ numero Domini de Fallais Sororius ipſum cõuenit & magno ſtomacho ſic eſt adorſus; ne tantum in poſterum ſumeret & licere ſibi putaret, tam indignis homines nobiles modis tractare, & tãquã ſi ex infima plebe eſſent pro ſuo arbitratu ad conſiſtorium pertrahere; nam hoc illum ignorare, neque poſſe, neque debere, omnem honorem, omnem authoritatem, quam Geneuæ conſecutus eſſet, obtineretque, eo pręſidio & fauore, quo illum nobiles ex Francia viri dignarentur, & quem ipſi impenderent, niti ac conſiſtere. Vnde animo tam acerbam iram, tantumque indignationis Caluinus concepit, vt ad aliquot ſeptimanas concionibus abſtineret, neque ad has antè reuerſus ſit, quàm comminarentur ſalarium ipſi ademptum in alium ſe tranſlaturos, ſi pergeret munus ſuum deſerere. Quartò, iudicent, quibus mens ſana eſt, qualenam ambitionis & arrogantiæ argumentum,

quoue ſpiritu agitatus fuerit, qui vel ad Bernẽ-ſes, vel ad alia loca iter habens, in comitatu ſuo viginti quinque aut triginta in equis omnes ſclopetis egregiè inſtructos circũducebat. Sanctine Petrus atque Paulus, cæterique Apoſtoli tali cum apparatu per prouincias profecti ſunt, cum Euangelium orbi annunciarent? Excuſabit hoc rurſus Beza, ſeu quis alius eius diſcipulus, quaſi inuito Caluino factum ſit, cui diſplicuerit, & qui tantum ſibi honorem deferri non concupiuerit; delatum autem eſſe à multis aduenis, bonis viris, qui ſingulari eum affectu amoreque proſecuti, ſatiari officijs & honore, quem ipſi impenderent, non poterant, neque in eo honorando modum tenere. Et ſic eſt ſanè; plurimi maiorem, quàm quo dignus eſſet, honorem impenderunt, & tanquam idolum coluerunt. Reſpondeo autem, prudentiæ fuiſſet & modeſtiæ Chriſtianæ, reijcere, & nequaquã admittere ſuperfluos illos, & nimis grandes triumphos. Neque enim Apoſtoli ſolum & diſcipuli Domini noſtri, ſed pagani etiam atque ethnici repudiárunt fugeruntque, imò verò ab huiuſcemodi honoribus & fluxi mundi gloria omninò abhorruerunt. Et ꝙ diſplicuiſſe Caluino aiunt, planè certum apud me eſt, niſi Magiſter Petrus Viretus alijq; monuiſſent, Bernẽſium Primoribus pompam atque gloriam, qua

eſſe-

efferebatur,nimiam viſam,ipſiſque ſorduiſſe,ꝙ ioco etiā declarabant, cum Geneuenſem Papā nominarent,Caluinum non contentum eo comitatu,maiorem etiam turmam fuiſſe circumducturum; hoc modo ſi, quod diſplicuiſſe aiunt,intelligant,non eo inficias.

## CAPVT XIII.

QVintò,vt ambitionem eius etiā magis in conſpectũ hominum proferamus,quis eſt,aut quis vnquam habitus fuit ſeu concinator ſeu doctor modeſtus,& gloriæ non ſimulatus contēptor, cuius auditæ huiuſmodi voces ſint, quales huius frequentes ſunt auditæ? Publicè enim pro concione in has voces non raro prorumpebat; Ego,inquiens, Propheta ſum; ego Dei Spiritũ habeo; ego à Deo miſſus ſum; ego errare non poſſum; & ego ſi erro,tu es Deus, qui me ꝓpter peccata huiuſce populi in errorē mittis & decipis. quomodo cũ loquitur, verba ſua ſcriptaq; tanq̃ fidei articulum aliquē accipi,credi,ſubſcribi ſanè voluit. Qui proximè Apoſtolos & diſcipulos Chriſti ſecuti ſunt, priſci Patres, ſi quē ſcripturæ librum interpretati eſſent, hanc ferè modeſtiam tenuerũt,vt quæ ſcripſiſſent, ad iudiciũ Eccleſiæ remitterent; hoc profeſsi,ſi conueniētia ſacris literis ſcripſiſſe, ſenſiſſeq; reperti eſſent,tum vt reciperentur approbarenturq;,

non

non vt ipſorum ſcripta, ſed ſicut Dei verbum: ſin autem, continuò reiecta & exploſa damnarétur, quæ nimis leuiter diuinæ ſcripturæ adminiculis, & expreſsis teſtimonijs non ſatis fulta ꝓtûliſſent, edidiſſentq;. Affirmare ego poſt alios magnæ eruditionis, pietatis, & authoritatis nõ vulgaris viros hoc poſſum, S. Auguſtinum, qui multum ſudauit, magniſque laboribus inſignes in Biblia & tam amplos, quam quiſquã, qui vel preceſſere, vel ſecuti ſunt, commentarios edidit, hunc tamen, dum ſuos recognoſcit errores, Retractationum libris in lucem emiſsis, Dei ſic gloriam magis illuſtraſſe, Eccleſiæque ædificium amplius cõſtabiliuiſſe, certo ſic probitatis ſuæ ſinceritatiſque Chriſtianæ edito teſtimonio, quàm reliquis ſuis omnibus & libris, & ſcriptionibus. At noſter Venerabilis doctor Caluinus, Bezam ſi audias, tam fuit abſolutus, tam perfectus, nullum vt errorem vnquam admiſerit, agnouerit, aut retractârit. Adijciã hoc etiam, non defuiſſe, qui Paulo præferrent, & maioris, quàm tantum Apoſtolum, facerent, tam Geneuenſes ciues, quàm illic commorantes aduenas. Exemplum eſto, quod in oppido Thonon cuidam nimis miſere Caluino adhærenti, cum in multorum cœtu hæc ipſa verba protuliſſet; Dominus meus Caluinus Paulo eſt doctior, pluraque ex Dei ſecretis, quam ad quæ

vnquam ille penetrauit, rimatus eſt, ignominioſa idcirco mulcta irrogata ſit. Sed multo etiam clarius eius ambitio enituit, detectaque fuit in eo cœtu, quem indixerat & in templo S. Petri Veneris ante natalem Domini Geneuæ Anno 1552. congregârat. Quo tempore certior factus, Eccleſias Tigurinam & Baſilienſem ſe ſuam de prędeſtinatione doctrinam non approbare, antequam is nuncius, qui à Dominis harum eccleſiarum cum literis idcirco Geneuã miſſus fuerat, adueniſſet, omnes tã intra, quàm extra Geneuam, qui venire poſſent, miniſtros cõuocat, efficitq́;, vt doctrinã hanc & quicquid de prędeſtinatione æterna damnatorũ, eorumque, qui ſaluandi eſſent, ab ipſo ſcriptum extaret, hi ſic coacti ſuo calculo atque ſuffragio probarent. Sed de hac eius doctrina, Deo approbante, pòſt videbimus; nunc, in qua verſamur, de eius ambitione ſilentio præterire non debeo, vafram eius & ſubtilem machinationem, qua tum vſus eſt, cùm quendam, cui Brulleo nomen & patria Oſtunum, in vitam reuocare cogitaret moliretur que; vt ſancti atque glorioſi Dei Prophetæ miraculorumque patratoris nomen ſibi & famam pararet. Hiſtoria talis eſt. Is, quem dixi, Bruleus Oſtuno Geneuam vigentis illic Religionis ſtudioſus demigrarat; & cum inops eſſet, atque pauper, vterque

quæ ipſe & vxor Caluini gratiam aucupabantur, vt ei commendati peculij pauperum, cuius ipſe loculos geſtabat, eleemoſynarúmque fierent participes. Eis Caluinus vitæ ſubſidia benignè pollicetur, alijſque in rebus ſe adiuturũ promittit, ſi ipſi contrà ſuam operam ſibi non negarent ad rem quandam, quam per eos fieri vellet: ſed opus eſſe fide & magna taciturnitate. Vicíſsim autẽ illi ad hoc, quod iubere vellet, promptos ſe offerunt. Et quemadmodum à Caluino edoctus inſtructuſq; fuerat, miſer hic Bruleus morbum ſimulat, & ſe in lectum abijcit. Miniſtri pro concione populo commendant, vt precibus iuuarent, & eleemoſynis paupertati ſuccurrerent. Non diu pòſt perſonam mortui induit, & quidem mortuum ſe ſimulat. Hic Caluinus clàm admonitus, quaſi tamẽ omnium rerum ignarus, deambulatum prodit; ſed comitatus pro more ſuo magna caterua amicorum, qui ipſi ſingulariter coniũcti & ſummè intimi eſſent, ſine quibus vix pedem domo efferebat. Poſtquam autẽ eò ventum eſſet, vbi clamores & eiulatus vxoris, quæ miſellam & deſolatam aliquam mulierem egregiè exprimebat, exaudiret, quidnam hoc eſſet ſciſcitatus domũ ingreditur; vbi in genua ipſe, & reliqua caterua prouoluitur, precibuſque alta voce profuſis, Deum obteſtatur, potentiam ſuam vt declara-

re, &

re,& mortuo huic vitam reſtituere,gloriamque ſuam ſic vniuerſo populo declarare vellet, ſimulque manifeſtum facere,ſe Caluinum,peculiarem ſibique gratum ſeruum eſſe,& a ſe ad Euangelij ſui miniſterium atque Eccleſiæ reformationem ſingulariter & verè vocatum. Poſt quas preces ad mortuum appropinquat, & miſeri hominis manu apprehenſa, in Dei & filij eius Domini noſtri Ieſu Chriſti nomine imperat,vt ſe erigeret,Deique ſic gratiam manifeſtam faceret. Repetit iterum ſæpiuſque eoſdem ſermones voce etiam altius eleuata. Quid fit? neque audit, neque loquitur, neque ſe commouet mortuus, iuſto enim Dei iudicio, qui fucos mendaciaque deteſtatur, is, qui ſe mortuum ſimulabat,verè eſſe mortuus repertus eſt;& vxor,quicquid eum agitaret,quomodocunque eum impelleret, neque vocem extorquere,neq; vt ſe commoueret, efficere potuit; ſed totus frigebat,rigebat totus.Quo animaduerſo plorare,vlulatus ſeriò edere, & ex animo cœpit vxor,& in Caluinum inuecta, impoſtorem eum,ſicarium,latronem, qui maritum interemiſſet,appellans,ex ordine rem, quomodo erat geſta,clara altaque voce expoſuit. Quæ cũ neque admonitionibus vllis pmoueri, neq; minis ſatis terreri poſſet,vt taceret,Caluinus apud maritũ mortuũ ea relicta, illinc ſe ſubduxit, in vulgus ſpargens mœrore ex mariti obitu delirã

ideoque

ideoq́ue excuſandam, & hoc illi indulgendum eſſe. Certum hoc eſt, conuentum cum ea deinde, vrbe vt excederet, & eſt ipſa Oſtunum reuerſa, nupſitque poſtea Miniſtro, quem Coul-dreum vocabant. Negent autem hoc, quantũ velint, Caluini mancipia, exploratum & cognitũ ſatis fuit, veritaſque rei ſatis probata, immò per ipſammet vxorem confirmata, quæ nihil minus erat, quam mente capta; vt quæ nihil loqueretur abſonum, neque quod à ratione alienum eſſet. Sed nos, quanta flagrarit ambitione, & *vanæ* gloriæ cupiditate, dicere proſequamur. Scribebat ſubinde literas & opuſcula, ſuas ipſius laudes in eis egregiè cumulans, nihilque eorũ, quæ ad honorem gloriamque ſuam amplificandam facere poſſent, prætermittens. Sed hem aſtutias, has ipſe literas, hæc opuſcula, tanquam ſi alio auctore ſcripta eſſent, ſic edebat, vt ſub alieno & ementito nomine, perque ſubdolam hanc & occultam fraudem famam ipſe ſuam longè lateque propagare illuſtrioremque inter homines facere poſſet. Calũniam eſſe hanc aliquis dixerit, niſi probare queam per eius epiſtolam quandam, quam Magiſtro Petro Vireto Lauſannenſi miniſtro direxit. Nam cũ tales literæ & opuſcula, quæ nomen cuiuſdam Gelaſij, qui etiam Dominus de Saule cognominabatur, prẹferebant, ſed & alia inſuper alio-

rum

rum etiam nomine in lucem emiſſa, in Vireti manus perueniſſent & is ſtylum Caluini, cuius frequentes literas accipiebat, optimè agnoſceret, multùm non ſolum admiratus, ſed & hac eius tanta ambitione mirificè fuit offenſus, neque facere minus potuit, quàm vt ſuam de hac praxi agendique modo, ſententiā, & quid ſibi de ea videretur, per literas exponeret: cui Caluinus reſpondit, cauſas aliquot commemorans valdè friuolas, & leues, quibus motus hoc faceret, vt alterius nomen ementitus dignitates ſuas & in Eccleſiam merita extolleret, laudeſque celebraret; ſuum conſilium eſſe, tantundem facere ad honores laudeſque Farelli & Vireti etiam procurandas, promouendaſque, vt ſic eorum authoritas ſtabiliretur, atque aucta creſceret, qui quaſi tres columnæ eſſent, quæ Dei honorem & Religionis Chriſtianæ reformationem ſuſtinerent. Hæ literæ cum multis alijs in ipſius Vireti conclaui atque ſcrinijs Lauſannæ tum repertæ fuere, cùm Bernenſi prouincia exceſsiſſet, & miſsione vel ab ipſis Bernenſium Primoribus, vel à Lauſannenſi præfecto, vel à populo, ne petita quidem, nedum impetrata, vt commeritam ignominiam euaderet, magna feſtinatione profugiſſet. Quo tempore hæc eius, & aliæ plus minus quadraginta epiſtolæ ad Bernenſes proceres allatæ, eiſque traditæ fuere, ex

E qui-

quibus, illi incredibiles Caluini ſociorumque eius cautelas, praxes, machinationes, inſignem vaſriciem, innumeros dolos, aſtuſque multiplices cognouerunt, admiratiq; vehemẽter ſunt, ac contra tam ambitioſos homines magnam indignationem conceperunt, qui ſui exaltandi nouos ſemper ſubtileſque modos, & rationes imaginari nunquam intermitterent. Denique, vt finem faciam, poteſtnè arrogantia maior, & ambitio magis putida vſquam reperiri, quam ea fuit, cuius coràm Syndicis & Senatu Geneuenſi xvj. Octobris, qui dies Iouis erat Anno 1553. manifeſtum ſpecimen edidit? Cum reſponſurus cuidam ſcripto, quod Dominus Trouilletus triduo ante exhibuerat, ſeipſum magnificentiſsimè iactans, & Melancthoni longe præferens, Philoſophum eum magis quam Theologum nominandum diceret, adderetque inter duas ipſum ſellas natitare, in Theologia ſcilicet non ſatis ſolidum, & ſi quis omnia penitius introſpiciat, multo ſe tamen inferiorem. Sed non erat hoc inſolens illi, quippe qui in priuatis etiam colloquijs, & cœtibus præ ſe omnes alios, tam priſcos, quam noſtri temporis doctores contemnere, & præter Bucerum præceptorem ſuum, nullo cæteros omnes loco habere ſolebat. Ad hæc cum in ſuis operibus ſcripturæ aliquem locum explican-

plicandum ſumpſit, & doctorum, qui antea eundem interpretati ſunt, ſententias recenſuit; tum videas eum has vt nullius momenti omnes reijcere, ad ſuam autem cum ventum eſt, iam magnificum illud atque arrogans, EGO VERO, audias licet, vt ex ipſius in epiſtolam ad Hebræos proemio, ne pluribus indicandis inhęream, cernere quiuis poteſt. Quod ſi porro in quē incidat, à quo ſit aliquādo reprehenſus, & cuius aculeos ſenſerit, hūc ita proſternit in imumque detrudit, tanquam ſi indignus ſit, quem ipſe tantus vir intueri debeat, frequenter imperitum, ſæpe beſtiā, nunc ſtultum, tum ebrioſum vel etiam canem mortuum vocitans; bellas en tibi voces, quibus libros eius plenos ac refertos conſpicias. Et Theodorus Beza tamen in omni cum humilitatis, benignitatis, clementiæ laude excelluiſſe viderī vult, eumque mirifice ab his virtutibus extollere conatur, in inſigni illa ſua præfatione affirmans, natū nondum eſſe, quem ipſe vituperarit vnquā, aut calumniatus ſit. Quod vt Dei eſſe iudicium volo, ita non prohibeo, quin boni etiam & cordati viri ſententiam pronuncient; nos enim iam ſatis in eius ambitione argumentis conuincenda immorati ſumus.

## CAPVT XIIII.

NVNC dicere de ſobrietate eius aggrediar, quam ſummis effert laudibus, vt biduum integrum ab omni eum cibo nonnunquam abſtinuiſſe in laude eius ponat, cuius ipſe oculatus teſtis eſſe poſsit. Addit hoc quoque, nunquam eum toto vitæ tempore in viuendi modo, moribus, doctrina variaſſe, ſed eandem ſemper rationem ſecutum eſſe. Quam tantam tã effrõtis ioculatoris impudentiam mirari ſatis non potui, qui quod nigrum ſit, eſſe album perſuadere vult, & angelum Sathanæ in lucis angelum transformare nititur. neque miror tamen; ſolenne enim & proprium hoc, qui ex patre mendacij prognati ſunt, filiorum munus eſt, atque officium. Sed longè aliter ſe res tamen habet, eſtque manifeſtum, quotquot huius Religionis ſectatores Geneuam demigrárant nobiles opulentique homines, nullum ei gratius officium præſtare potuiſſe, ad eius ſibi fauorem & amicitiam conciliandam nullam faciliorem viam habuiſſe, quàm apparandis illi lautis conuiuijs atque epulis, ſiue prandium eſſet, ſiue etiam cœna. Certabantque inter ſe, alterque alterum ſuperare in eo oppiparè tractando non ferculorum tantũ copia, ſed lautitia, ſed ſumptu apparatuq; delicatiore, contendebat. Vnde factum, vt altilium

& de-

& delicatarum rerum precio multum ſic au-
ɫo, ex hac, aduenarum Gallorum præſertim, gula, ingluuie, helluatione, qui quicquid obſonij delicatioris in forum venale allatum eſſet, auferebant ſtatim, vt duplex offenſio oriretur, duplexq́ue in populo muſsitatio audita ſit. Alios offendebat Chriſtianos homines patria idcircò egreſſos, vt ſanctius religioſiuſque ſub Euangelij profeſsione viuerent, tantopere luxui ventrique deditos addictoſq; cernere. Alij, ijque pauperes, neceſſarijs ad vitæ rebus deſtituti, multùm indignabantur, quod cum ipſi omnibus rebus indigerent, in epulis D. Caluino paratis nihil deeſſe, ſed profuſè omnia & redundanter ac ſuperflua multa exhiberi conſpicerent. Hic rurſus reſpondebunt dedititij eius, bono illi viro minime grata huiuſmodi fuiſſe, maluiſſeque minorem ſumptum fieri; ex benigno autem, quem erga ipſum omnes gererent, animo affectuque profecta eſſe; quippe qui hoc modo, cum aliter non poſſent, honorem, quem ipſi deferrent, & amorem, quo proſequerentur, teſtatum facere ac declarare ſatagerent. Rectè quidē hoc, niſi boni, ſinceri, ac veri paſtoris, atque verbi Dei miniſtri officium eſſet, luxum & ingluuiē nimiſq; magnificos in epulis apparatus reprimere, reſecare, neque eis frequentem intereſſe: non ſolum, ne approbare videatur,

verùmetiam ne pauperes & tenuis fortunæ homines contriſtet offendatque. Verùm ſecus tamen ſe multò rem habere ex viris optimis & fide dignis ſatis cognouimus. Nam apud ſe domi optimi quique & delicatiſsimi boli eius palato reſeruabantur, aut ſanè fuere præſentati: Vino autem quo vtebatur, nullum erat in tota vrbe delicatius. Nam hoc in ſingulos annos curandum erat, comparabatque ſibi ex vineto domini de Flechiere de Conciſe iuxta Thonon, nihil penſi habito, quam hoc carum eſſet. Et quãdo ad quemquam amicorũ, tanto eum fauore dignatus, pranſum ibat, vel cœnatum, ſuum vinum in argentea lagenula eò ferendum erat, quod Domino eiuſque palato tantum ſeruabatur. Quid? quod piſtorem haberet, qui ſingulari modo panes ei, eiuſque ori ſapidos pinſeret; ex nobiliſsimo farinæ flore, aqua roſacea, ſaccaro, cynamomo & anyſo macerato, & bis deinde coćto: & hic panis, per ſingularem excellentiam panis DOMINI, puta Caluini, vocabatur. Hoc Beza & deditiſsimi Caluini diſcipuli, quantum volent, negent, mihi ſatis eſt, Bernenſium Primores teſtimonium perhibere poſſe, qui hoc luxu, in quem diligenter inquiſierant, grauiter offenſi fuere, maximè, cum neque hoc ignorarent, in quanta copia ex omnis generis condimentis, & liquidis,

& ſiccis ex Hiſpania & Luſitania, quæ poſſent reperiri, exquiſitiſsima ad eum à perquam multis muneris loco perſerrentur, quorum ipſe maiores maſſas abſumeret, quàm ſicci panis nonnulli pauperum. Nec eſt ſanè, quod Beza veritatem tenebris offuſis occultet, aut diſsimulando extenuet: Mendacia enim breues pedes habent, & idcircò præ laſsitudine facilè concidunt, neque longum curſum facere queunt: at veritas, quæ temporis filia eſt, tandem aliquando ſe prodit, & emicat, eorumque oculos, qui tenebris obuoluere nituntur, perrumpit perfringitque. Idcircò de eius ſobrietate nihil dicam amplius, hoc tantum, doctorem vnquam aliquem, & verum ac ſincerum paſtorem Euangelij tam delicatè & ex animi ſui ſententia habitum, neque ſcriptum neque auditum eſſe, quidquid tandem Beza ſcribat.

## CAPVT XV.

QVANTVM AD EIVS caſtitatem continentiamque pertinet, de ea nihil ego neque affirmare, neque negare poſsim; hoc ſolum,

muſsitátes frequenter auditos. Præter cum ſermonem, qui de Prouinciali adoleſcente erat, quem multa ei furto abſtuliſſe ſuprà diximus, multi, quos iudicio voluiſſe conſtat, longè aliter, quàm de eo Beza ſcripſit, iudicârunt; non quidem forſan de extremis eius diebus; quando grauiter tortus, cum morbo conflictabatur; ſed eo tempore, quo nobilis matrona oppidi Mougis, marito, quem Lauſannæ relinquebat, non ſalutato, Geneuā demigrauit, quò maritus venire non erat auſus. Et ante hoc tempus etiàm exploratum habeo, matronas in ſuſpicionem vocatas, de quibus vulgò muſsitabatur, quæ ſæpe & valdè familiariter ipſum domi ſuæ conueniebant ſine arbitris, niſi fortè cum infante, quem manu ſecum ducerent, & Bibliorum volumine, quod ſub axillis gererēt; quæ ſi in quem cognatorum aut amicorum per viam incidiſſent, rogarenturque, quò iter haberent, reſponſum alacres dabant, ire ſe quæſitum ſanctum hunc hominem, ſcrupulum vt illis quendam eximeret, ſeu vt dubium illis quoddam ſol ueret, & manebant apud illum longo tempore. Singulariter autem erat ſermo de cuiuſdam nobilis viri vxore, quæ in prouincias has religionis iſtius ſtudio commigrârat; nomini ob certas cauſas parco; domicilium autem habebat non procul Geneua, quaſi medium inter hanc
&

& liberas terras apud Saconnay, in territorio Gez; ipſa iuuencula, blandula, bellula, eleganti forma, atque alacris. Ad quam Caluinus frequenter, & valdè quidem frequentèr diuertebat, vt cœnaret; pernoctabat verò etiam marito abſente à domo, & peregrè extra prouinciam profecto. Et ſcio ego, nôrunt etiam alij famulam, quæ Dominæ illi tum inſeruiebat, iuratam detexiſſe, & eſſe falſam, veſtigia ſe in lecto heræ ſuæ duplicia oſtendiſſe, etiāſi maritus peregrè abeſſet. Atque Caluinus illic ea nocte & cœnarât, & dormierat; famula autem nimium loquax ob hos ſermones primū increpita, dein de domo etiam exacta eſt. Sed hoc ego in medio relinquo, ſicne ſit, an ſecus; tantum dicam, in quo bonos cordatoſque viros mihi aſſenſuros exiſtimo, meminiſſe ipſum debuiſſe, idque exequi, quod Paulus ad Theſſalonicéſes cap. v. admonuit, ab omni mali ſpecie abſtinete, inquiens. Vnum præter cætera valdè certum & multis etiam cognitum, præterire non debeo, de Domina nimirum Iuliana de Brederode, Iacobi de Burgundia Domini de Fallais, cuius ſuprà mentio etiam facta eſt, coniuge. Hic Nobilis, à quo tempore Geneuam intrauit, imbecilli ſemper valetudine fuit, & ſub medicorum cura. Quem Caluinus nonnunquam inuiſens matronam Iolandam eius vxorem ſæpe ſic eſt allo-

cutus. Quid facies, inquiens, hoc homine tam malè affecto? nunquam erit, tibi vt ſeruitium exhibere queat; me ſi audias, mori ipſum ſines; & quantum abeſt, vt mortuus ſit? Quem ſi mori contingat, nos inter nos coniuges erimus. Indignata hoc ſermone & valdè offenſa Domina, marito ſuadet, Geneua relicta, ad Bernenſes vt abeat, perſuadetque, nam ſic fecit. Illa autem clàm hoc tenere non potuit, ſed multis bonis & honoratis viris narrare conſueuit, & ego narrantem, cùm maritus præſens eſſet, audiui. Cæterum hoc notandum, eorum, qui Geneuæ, vel quouſque eorum iuriſdictio porrigeretur, commorabantur, neminem de Caluino muſsitare, aut quicquam queri auſum, cui non vel exilium, vel mors ſtatim parata eſſent: Mille enim aſtus, mille cautelæ ipſi in promptu & ad manum erant, quibus hoc auſos, vt ſe aduerſus eos tueretur, impetebat. Nam eos rumore in vulgus ſparſo, homines eſſe improbos, atheos, Libertinos, perduelles, patriæ hoſtes atque proditores, ſic exagitabat, vt vel mortem ipſis, vel exilium procuraret. Cuius rei exempla aliquot recenſebo, non magis mihi, quam alijs multis ſingulari prudentia viris, qui diligenter eius praxin, &, quo vteretur, aſtum notare, & obſeruare con-

conſueuerunt. De Caſtalione, Carolo, Bernardo Ochino, & de Petro Morando, nihil dicam, quorum ipſe præſentiam tolerare non poterat, qui nullum neque magiſtrum admitteret, neque ſocium; ſed dicam aliquid de quodam eleemoſynario, Reginæ quondam Nauarræ, cui Montouſeto nomen. Hic metu Regis Nauarri, qui aduerſus eum odio incitatus ob religionem erat, ſeu, vt melus dicam, ob doctrinam Lutheranam, quam magno feruore tuebatur profitebaturque, cum neque in Gallia, neque in Nauarræ regno ſatis ſe tutum eſſe & ſecurum æſtimaret, cum bona venia Reginæ ſuæ heræ, & cum eius conſilio Geneuam commigrauit, quò ad pauperum loculos peculiumque ipſa paucis ante diebus quater mille Francos ad egenorum miſeriam, egeſtatemque ſubleuandam miſerat. A Regina autem commendatitias ferens gratus fuit propter heram, & benignè à Caluino alijſque ſuſceptus eſt; ſed cum Caluinum diligenter obſeruaret, notaretque in diſtribuendis eleemoſynis qua is fide verſaretur, & quàm parum inde pauperibus ſubueniretur, tenere ſe non potuit, quin hoc queſtus ad eos referret, quos ſibi amicos credebat. Eueſtigio ad Caluini hoc aures perlatũ eſt, qui multos ſibi ita deuotos habebat, vt explo-

exploratorum loco ei ſeruirent, & ſuggererét, admonerentque de omnibus rebus, quę per vrbem fierent, & qui de ipſo ſermones eſſent. Bonus hic igitur Montouſetus ab omnib. ſtatim deſertus eſt, cique Caluinus ob id ſtatim malè voluit, commendationiſque nulla amplius ratione habita, amici ſimul & ſubſidia ipſum deſtituunt. In anguſtias illas redactus, prolixè per literas de omnibus rebus Reginam heram ſuam certiorem reddit, quemadmodũ Geneuenſes ſe miniſtri gererent, & Caluinus imprimis; tum, quæ ad pauperum indigentiam ſubleuandam mitterentur ſubſidia, quomodo ipſe diſpenſaret; ad extremum, ad Reginæ opem confugiens, cuius fauorem, gratiam, ſubſidia, & liberalitatem implorat. Nec multo pòſt certum illa hominem ad quoſdam, qui inter aduenas Geneuæ commorantes præter cæteros clari erant, veluti ad eum, quem dixi Dominum de Fallais, ad Magnificum Megrettum atq; alios cum literis miſit, admonens, Caluinum vt obſeruarent, metuendum enim, ne nouus aliquis hypocrita ſit, impoſtorque, fumos qui Chriſtianis vendat; nam non ignorare ſe quam mala fide in eleemoſynis diſtribuendis verſaretur. Diuulgatum ſtatim per vrbem inter exteros hoc fuit. Et Caluinus cum diu ignorare hoc non poſſet, ſimul ac reſciuit, ſuſpicatus ſtatim,
imò

imò propè certus ex Montouſcti hoc delatione prouenire, quem non dubitabat Reginæ heræ ſuæ huiuſmodi ſuggeſsiſſe, ſubtilem admodum fraudem imaginatus eſt, qua iram Reginæ mitigaret, ſuſpicionemq́ue hanc à ſe auerteret. Scribit igitur binas ad eandem Dominam ſequenti nocte literas, quarum alteræ valde erant lenes, humiles, gratijs & comitate plenæ, in quibus rogabat, ne fidem adiungere vellet, vel ſermonibus, vel ſcriptis literis quorundam maledicorum, qui, cum turpiter viuerent & Libertini eſſent, ob rigorem & diſciplinæ ſeueritatem, qua in illorum vitijs reprehendẽdis & corrigendis vteretur, ipſi malè vellent, atque idcircò falſis confictiſq́ue criminibus in odium nobilium Dominorum & matronarum per literas præcipitare conarentur; Futurum vt breui intelligat, quanto cum zelo, & verbum Dei, & Eccleſiæ negotia ipſe adminiſtret. Has literas ſic ſcriptas, clauſas, diligenterq́ue obſignatas in veſtis ſuæ ſacculum abdiderat. Alteræ autem literæ vehementes erant, ſuperbæ, amarulentæ, mordaces, in quibus miris eam modis perſtringebat, impiam vocans, Libertinam, hypocrytã, Anabaptiſtarum fautricem, quæ domi ſuæ clã retineret inſignes duos hæreticos, Quintinum & Antonium Pocque, & vnà cũ vxoribus aleret; ſuam verò, quam in Deũ haberet, fiduciam tantam

tantam eſſe, eamque conſcientiam, qua ſuſtentaretur, vt hæc ſibi propugnaculum eſſent, & murus aheneus contra omnes mundi poteſtates, neque ſe hac fretum Regum Reginarumq;, & qui in mundo eſſent Principum iram, odium atque intentatas ſibi minas quicquam pertimeſcere; dicam amplius, terribili Dei iudicio, quod in eius caput breui redundaturũ eſſet, terrere auſus eſt. Vix credo reperiri mortaliũ quẽquam poſſe, quantauis etiam dignitate excellat, qui tales, tam ignominioſas, tam procaces, etiam ad vilißimum homuncionem dare vel vellet literas vel poſſet. Has ipſe ſic ſcriptas, & manu ſua tãtum, vſitato ſibi more, ſubſignatas, nondum tamen clauſas, mane facto plurimis ſimul congregatis poſt concionem oſtendit, inter eos autem erat etiam hic Montouſetus. Varia erant de illis variorum iudicia: Prudentiores tantam audaciam mirari ſatis nõ poterãt, & tam illuſtri Dominæ tam acerbas literas ſcribere, imprudens factum iudicabant: Alij incogitantes minuſque conſiderati, valdè laudabant, tanquam ex Chriſtiana conſtantia & magnanimitate profectum. Quãtus hic eſt, aiebant, qui viros etiam Principes & magnates nihil veritus, veritatem neq; apud hos diſsimulat? Poſt lectas autem, Magdalenæ templum, vbi fuerat concionatus, egreſſus eſt, & duobus,

qui

qui, cum legerētur, præſentes fuerant, videntibus obſignat, inque veſtis ſuæ receptaculum ad alteras illas lenes ſubmiſſè atque comiter ſcriptas adiungit. In ipſo momento, qui à Regina miſſus fuerat, illi deſignatus fuit, quem accerſens priores illas, quas diximus, perbenignè & peramanter ſcriptas ei porrigit, commendatque, rogans, ipſimet Reginæ in manus vt traderet; quod ſe facturum is recipit, & poſtquàm erat pranſus, iter ingreditur. Itaque qui aderant, poſteriorem amarulentam illam, quam prælegi audierāt, hanc ipſam eſſe, quam tabellarius accepiſſet, planè ſunt arbitrati. Atque hoc pacto bonus prudenſque hic vir ſimul Reginæ fucatis literis, & ementitæ humilitatis ſpecie illudit, ſimul os eis occludit, qui ex literis à Regina miſsis peruerſam de ſe opinionem concipere potuiſſent.

CAPVT

## CAPVT XVI.

CAEterum hic aſtus latere diu non potuit, eſtque tam ſubtilis machinatio non multò pòſt hac occaſione detecta, quod miſer Montouſetus magis etiam omni fauore præſidioque deſtitutus, maioriq; aduerſum ſe odio concitato, Geneuam relinquere coactus fuit, & ad heram ſuam redire; quamuis certum ſibi inde periculum immineret, mori nimirum ſemel eligens, quàm in perpetuis miſerijs & anguſtijs languidum diu ſupereſſe. Reuerſus igitur Reginæ coràm & ad longum exponit, Geneuenſium viuendi rationem, illorum mores & vitam graphicè depingit: res, & pauperibus largita adſcriptaque bona, in quos vſus verterentur, quemadmodum diſpenſarentur, multis verbis enarrat. Regina, cui eleemoſynarij ſui integer & ſincerus animus ſatis erat exploratus, cum inſuper certa eſſet, cum neque ſtolidum, omninoque ſtupidũ, neque vafrè aſtutum eſſe, literas ei exhibet inſpiciendas, quas ad ſe Caluinus poſtremò ſcripſerat tum, cum certum eò hominem deſtinaſſet; Quas cum videret ex diametro contrarias eſſe & omninò diuerſas ab illis, quarum Caluinus exemplum oſtenderat Geneuæ, legeratque multis coràm aſtantibus, quas diximus fuiſſe aſperrimas, arrogantia, faſtu, iniurijs ac contu-

melijs plenas, Reginæ hoc indicat & deſignat etiam, qui, cum legerentur, præſentes adſtitiſſent. Quocirca, vt rem ipſam exactè cognoſceret, certum rurſus hominem illa Geneuam remittit, vnà cum literis his Caluini ſuauibus tãquam ex melle & ſaccaro compoſitis, adiunxitque ſuas ad honoratos quoſdam viros Geneuæ commorantes, quos Montouſetus affirmárat præſentes tum fuiſſe, cum Caluinus eas legeret, quas ſe Reginæ miſſurum præ ſe ferebat. Abit, reditque tabellarius, reſponſum ferens, ei, quod dixerat Montouſetus, conſentaneum. Vnde non ſolum Regina Caluino minus tribuere cœpit, (quem deinceps non alium, quàm vafrum aliquem veteratorem & malitioſum hypocritam æſtimabat) verùm quotquot etiam has eius fraudes intelligerent, alieno ab illo animo fiebant; quorum aliqui deſerta Geneua, in Bernenſium prouincias demigrárunt, multùm eius vafricie offenſi, vt qui indies Diabolicæ ſuæ malignitatis, & infernalium fraudium noua exempla ederet, prodigioſaq; teſtimonia proferret. Ex quorum numero vnum ego admodum illuſtre recitabo, ſed peruulgatũ tamẽ, & omnibus Geneuenſium Bernenſiumque primoribus optimè cognitum, de Domino Amyotto Perrino, illuſtri ſanè & maximè inſigni, ſummæque authoritatis in ea Republica viro,

vbi ex præcipuis Senatoribus fuit & ſupremus rei militaris Præfectus. Quem talem tantumq; virũ,cum animaduerteret Caluinus intercedere perſæpè,ſuiſque conſilijs aduerſari, conatuſque irritos facere, de eo è medio tollendo occulta conſilia machinari, & inire cœpit. Valde autem conuenientem prætextum ratus, ſi de proditione contra vrbem ſuſpectum reddere poſſet, commodam & oportunam aliquam deſiderij ſui perficiẽdi rationem ſedulò inueſtigat. Quod dum agit, Caldinalis Bellayus Roma rediẽs, Geneua tum fortè iter fecit, ad Regem in aulam contendens. Geneuenſes toti in hoc erant, quomodo eum honorarent, & pro more ciuitatis optimum & nobiliſsimum, quod habere poſſent, vinum ſolennibus lagenis præſentantes, omnia ei humanitatis officia cum quã ta poſſent magnificentia exhibuerunt. Poſt eius diſceſſum cum in aulam perueniſſet, Caluinus vt conſilia ſua & animo conceptum facinus proſequeretur, confingit literas, tanquã à Cardinale, vel ab alio, eius tamen intimo amico ſcriptas, quibus Geneuenſes certiores reddebat, Regem bono erga Rempub. animo eſſe, & ad eam fœdere atque amicitia ſibi coniungendam valdè propenſo; conſilium idcircò ſuum eſſe, vt ex ſuo corpore legatum mitterent, qui fœdus amicitiamque hanc Reipublicę

nomine

nomine ſolicitaret. Miſeri, & parum conſiderati ciues magna leuitate fidem ſtatim huic nũcio adhibent, & tanta re non amplius ponderata eligunt, qui cum Rege de hoc tractaturus ad aulam legatus proficiſceretur; & quidem Amyottum Perrinum tanquam inter omnes, ſicut reuera erat, maximè eloquentem & idoneum. Caluinus valdè lætus atque hilaris ſic rem cecidiſſe, & hunc electum eſſe, perſuaſiſſimum habebat, nunquam futurum, vt Perrinus ſaluus reuerteretur, ob eas, quas contra hanc ciuitatem Rex, & qui circa Regem erant Conſiliarij, inimicitias gererẽt; veluti in quam ex Francia facinoroſi omnes, quales eſſent decoctores, deſperati, falſarij, iniqui nummularij & denique Apoſtatæ tanquam in tutiſsimum aſylum confugerent. Et profectò Perrinum Montmourencius Franciæ Coneſtabilis toruum admodum eſt intuitus, qui aduentus eius quę eſſet cauſa, ꝙ eius mandatum, quæ legationis capita cùm intellexiſſet, ferociter admodùm reſponſum dedit, ſtultum eum & temerarium eſſe; iret, renuntiaret egregijs ſuis Dominis Geneuenſibus, venirent nudi, induſijs tantũ tecti, & laqueo in collum iniecto, & ſic ſe ad pedes Regis ſupplices proijcerent, ac miſericordiam eius potius implorarent, quàm tanta cum arrogantia & faſtu eius amicitiam

atque fœdus ambirent. Quibus verbis alijſque æquè, aut magis etiam atrocibus Perrinus vehementer eſt conſternatus; ſed ſubſtitit nihilominus per aliquot dies in Francia, priuſquam Geneuam repeteret.

## CAPVT XVII.

INTEREA infelici illi Perrino non poterat in mẽtem venire, eratque ignarus prorſus, quæ in ipſum faba cuderetur, quæuè tenderentur retia per literas paſsim, ſub ſociorum eiuſdemque ſectæ Pariſijs, alijſque in oppidis commorantium nomine miſſas; quarum ſentẽtia erat, aduigilare & excubias agere vellent; Eorum legatum enim de tradenda Regi ciuitate cum Coneſtabile conſilia clam inire. Cuius argumẽti plures quidem aliæ poſt alias ad diuerſos, qui Geneuam commigrârant, tanquam à diuerſis per Franciam ſcriptæ eſſent, Geneuam peruenêre; quæ cum metum illis incuterent, tum in magnam Perrinum ſuſpicionem immicitiaſq; coniecerunt; atque paucis poſt diebus re infecta, Geneuam rurſus ipſe quoque redijt. Tum aliæ rurſus ſubornatæ literæ, quaſi peregrè venirent, & à varijs, qui per Franciam Religionem illam ſectarentur, ſcriptæ eſſent; nam illorum nomen præferebant, ad magnificum Megrettum,

tum,& ad alios allatæ ſunt, quibus confirmabatur Perrinum Regi pollicitum, ſe vrbem ei traditurum, habere ad eam rem paratos & Duces,& milites,qui ſimulato, quaſi in Sabaudiam inſtituiſſent,itinere,certa & cõſtituta nocte per pactas inſtructaſque inſidias in vrbem introducendi eſſent. Quo falſo de tradenda & occupanda vrbe rumore ſic ſparſo,ex Francia aduenæ,qui Geneuæ commorabantur,cum in magnam ſuſpicionem coniecti valdè ſuarum rerum dubij eſſent, ecce ſuperuenerunt aliæ literæ ex eadem officina,ex qua & priores,ad ipſum quoq; Dominum Amyottum Perrinum à Præſide Sabaudiæ Peliſſono, cuius nomine ſubſcriptæ erant & ſubſignatæ, quarum hæc erat ſentẽtia: Domine Præfecte voluit Rex, mihique mandauit, vt ſcriberem & admonerem te,fidem ipſi ne falleres, promiſſaque ſeruares, qui in ſummo te apud Sabaudos loco idcircò conſtituet. Tabellarius, quod erat inſtructus, non immemor, ad domum Perrini venit eo tempore,quo domi eum non eſſe ſatis ſciebat. Vxorem ergo allocutus ei literas tradit, rogãs, marito vt eas redderet,& nequaquã alteri; Lauſanna reuerſum, quo ſe profecturũ magna celeritate aiebat,reſpõſum repetiturum. Quibus literis lectis magnopere perculſus, & minimè vel inſidias,vel proditionem,quæ ſibi ſuborna-

rentur,ſuſpicatus, rectà ad Caluinum contendit; vbi caſu etiam magnificum Megrettum offendit, & cum illis communicat de literis, quas accepiſſet, conſiliumque rogat; Deum teſtatus, ignorare ſe, vnde eæ venirent, neque cum quoquam hominum commercium huiuſmodi rerum habere. Caluinus, qui auctor eſſet, ſolus conſcius, blandis eum verbis conſolatus, in Deum oculos ſpemque ſuam figat, eique ſe commendet, hortatur, poſt aliquot fortè dies certiora auditurum; ſaltem tabellarij, qui literas attuliſſet, reditum expectaret. Perrinus hoc conſilium ſecutus, eique fidens, nemini literas præterea exhibet, ſed in ſecretum locum conclauis ſui reponit. At Caluinus ſuarum rerum, quas agebat, minime negligens, & nequaquam tardus, poſt horam circiter, ſolus ſine arbitris domi eum ſuæ conuenit, literas iterum ſibi exhiberi rogans, eſſe ſententiam (nam hoc ſimulabat) quam in eis diligentius expendere & penitius inſpicere cuperet. Perrinus proditionem ne ſuſpicatus quidem, in conclaue eum introducit, extrahitque literas ex ſecretiori illo loco, in quem eas repoſuerat; hũc Caluinus diligenter notans, poſtquam paulułum quid legiſſet, reddit literas, domumque reuertitur, neq; moram aliquam interponit, & calamo arrepto nouas effingit, eidẽ magnifico Megretto inſcrip-

tas,

tas; eas vero nobili cuidam ex Frácia viro attribuit, quibus Megrettũ de proditione certiorẽ reddebat, quæ eſſet per Præfectum vrbis Perrinum adornata, hortabaturque, Senatui Geneuenſi indicaret, vt vigilijs cuſtodijſque ciuitatem munirent. nam certo venditam, atque nõ procul inde per Sabaudiam in inſidijs collocatos, qui in eam irruerẽt. Eodem veſpere hæ literæ Megretto ſunt redditæ; qui valde perculſus repente nulla mora, nulla deliberatione interpoſita, Caluinum adit, eiq́; has literas oſtendit. Caluinus totus cõmoueri viſus (ſic enim ſimulabat) exceſſurũ ſe vrbe ad fines Bernẽſium aut Baſiliẽſium profitebatur, quẽ Megrettus bono animo eſſe iuſsit, promiſitque hoc ſe, quicquid eſſet, ad Senatũ poſtridie relaturum, atq́; ſe Perrino oppoſiturum. quod magno cũ ſtudio & zelo etiam fecit. Nam varias ad Syndicos & minoris Cõcilij Senatores literas attulit, quas à diuerſis ſuis amicis per Franciam, ſic enim aiebat, accepiſſet, addẽs, etiã ipſi Perrino à Fori Voconij in Sabaudia Præſide Peliſſono de eadẽ re & de ꝑmiſſo, quo Regi teneretur, miſſas, quas pridie D. Caluino ſibiq́; legendas ipſe exhibuiſſet. Eueſtigio magnus apparitor ad accerſendum Caluinũ, vt in Senatum veniret, eſt miſſus, neq; longe illi abeundũ fuit, cũ is ad portas curiæ euẽtũ expectans excubaret. Ingreſſus igitur in aulã

& Senatorum conſeſſum, rogatuſque num vidiſſet has Præſidis Chamberij literas; vidiſſe ſe reſpondit, hoc inſuper addens, etiam quo loco eas recondidiſſet noſſe, itaque allaturum ſe eas, ſi Dominis viſum ſic eſſet, placeretque mandare hoc Præfecto Amyotto Perrino, vt claues ſui conclauis traderet, ſibique adiungerent deinde ex ſuo cætu aliquos, qui ſecū vnà irent. Placuit, itaque literæ ſtatim allatæ fuere, & in ſenatu lectæ, ſtatimque Perrinus infelix mire confuſus conſternatuſque, ſimulac lectæ fuere, in carcerem abreptus, arctamque in cuſtodiam detruſus eſt. Qui rumor totam vrbem compleuit, ſuntque mirabiles inter ciues exteroſque ſermones tum auditi. Amicis vero & cognatis intercedentibus, cum ſui defendendi poteſtas facta eſſet, inter cœtera innocentiæ argumenta declaratum Senatui fuit, nunquam facturum Perrinum, tales vt literas Caluino & Megretto inſpiciendas exhiberet, ei ſi culpæ affinis, ac proditionis ſibiipſi conſcius fuiſſet. Quod tantum apud Senatum valuit, vt literas ad Peliſſonum præſidem mittendas eſſe decreuerit, ad hoc, num eius & ab ipſo miſſæ, necne, eſſent, explorandum. Qui ſuas eſſe literas conſtanter negabat; neque ſe vel mandante vel approbante atque conſcio ſcriptas. Sic mortis periculo, quod ipſi imminebat, miſer Perrinus ereptus fuit,

ſuit,neque dubium eſſe poterat,ſtratagema vaſri,& verſipellis alicuius miniſtri hoc fuiſſe,licet nomine ſuo digitòque deſignari nondum tum clarè poſſet. Ac Perrinus quidem vinculis & carcere ſolutus,libertatique & priſtinis honoribus eſt reſtitutus, ſupremumque ei vrbis Præfecti imperium eſt prorogatum. Quamuis autem auctores inſidiarum,quinam eſſent,ad plenum & clarè non conſtaret; (tanto cum aſtu & tam ſecretè cautimque ſubornatæ fuere) tamē in Caluino eiuſque ſocijs ſuſpicio vehemens hæſit & ex eorum officina profectas eſſe grauiſsimæ erant coniecturæ.Ex quo ingratitudo Caluini perſpici poteſt,& beneficij immemor animus,& quàm is male gratus Perrino eſſet, qui eius cauſa,vt ab exilio reuocaretur, labores moleſtiaſue non minimas ſuſtinuerat,& Argentoratum ipſuſmet ad eum accerſendum & reducendum profectus fuerat. Vxori ſanè Perrini iuuenculæ,iracundæ,audacique animus non defuit,ſi facere potuiſſet,Caluino necem idcircò procurandi,quem publicè alta claraque voce probris inceſſens,perfidum proditorem,malignum,improbumq́ue inclamabat,at Senatus eam compeſcuit, ſeriumq́ue graui pœna cōſtituta madatum dedit,ne contra Caluinum & eius vel honorem,vel perſonam quicquam moliretur ageretq́ue.

## CAPVT XVIII.

CAluinus nihil remittẽs de odio, quod aduerſus Perrinum conceperat, vt erat inexorabilis, & iniuriarũ ac mali ꝓpoſiti tenaciſsimus, omnes inueſtigare modos pergit, quibus vel necem ei procuret, vel vrbe ſaltem exigat, & in exilium extrudat; tempus autem oportunum, quo maligno ſuo ſatisfacere deſiderio commodè poſſet, attentè ſemper obſeruabat; interea operam dans, ex ipſo Senatu quoſdã ad ſuas partes vt poſſet pertrahere. Et alios quidem muneribus, ex pauperum peculio clam elargitis, alliciebat; ex quorũ numero fuit Lambertus quidam, rei familiaris anguſtia preſſus, cui hoc exprobratum aliquoties fuiſſe conſtat, quod ex pauperum loculis de ſerico thoraces gereret. Alijs pecuniam magnis ſummis ad mercimonia exercenda mutuam dabat. Nam quamuis Beza valdè eum egenum fuiſſe videri velit, affirmetque; tamen, vt de cæteris ſileam, quendam Claudium de Paon pharmacopolam ſatis notum eſt aliquandiu mutuas ab ipſo quingentas libras ſumpſiſſe; quibus verò hoc conditionibus, me latet. Alios ſpe honorum, atque fauoris, & gratiæ pollicitatione lactans circumducebat. Vnde nihil in cõcilio & Senatu tractabatur, quod per hos homines ſibi ſic obſtrictos non cognoſceret, nulla erant officia, nulli dignitatum gradus ad quos gratos

deditoſ

deditoſque ſibi promouere, ſuffragia quaſi in manu ſua habens, nō poſſet. Et hic quidē vnus modus fuit, quo ſibi viam ſternebat ad ea, quæ animo concepiſſet, facile perficienda: ſed ex altera parte curabat hoc etiā, & per ſubtiles ſuas praxes conſequebatur, vt exterorū plurimi, qui Geneuā commigrarant, Franci, Belgæ ſeu Flandri, Angli, aut Itali etiam, ciuitate donati, ius ciuium cōſequerentur, admiſsi.ſ. per minus concilium tantúmodò, non rogatis neq; approbātib. Ducentūuiris. Hinc inter veteres & nouos huiuſmodi recenter aſcitos ciues querelæ frequentes natæ ſunt atque auditæ. Quas tamen querelas conténere iam aduenæ & inſititij poterant, & faciebant etiā, qui numero, potentia, opibus antiquos natoſq; ciues etiā ſuperabant. Quibus vt ſe fortius obijcere poſſent, laqueus illis quaſi iniectus eſt, falſo rumore excitato ac malitioſè per vrbem ſparſo; is erat, veteres incolas & natos ciues conſpirare aduerſus aduentitios, deque his ſemel vna nocte tollendis conſilia occulta inire; qua occaſione cupidè arrepta aduētitij cœpere quaſi excubias agere, & idcircò armati per vrbem nocturno tēpore incedere, ita tamen, vt in comitatu ſuo etiam aliquot ex veteribus inquilinis haberent ſingulariter Caluino addictis ac deuotis. Inter cæteros Cottinus Baudichonius erat, ex familia,

milia, ex vultu, ex rapinis alijſque facinoribus ſatis notus, vt eum aliter deſcribere non videatur operæpretium; hic nocte quadam, & quidem intempeſta, in Francorum comitatu, qui armati per vrbem gradiebantur, vnà erat. Quo per vicos diuulgato conuenerunt ſtatim magno numero ciues nati, eoſque repertos verbis adorſi, ſciſcitati ſunt, quid in animo haberent, & qua auctoritate hoc facerent, quod ſic turmatim & armis cincti nocte intempeſta vicatim vagarentur. Rumor & tumultus per vrbem ingens erat, parumque aberat, quin armis correptis ſanguis funderetur. Ad quem tumultum ex quatuor Scabinis ſiue Syndicis Henricus Haubert Pharmacopola (non enim eius domus longe aberat ab eo loco, vbi exoriebatur) accurrit, & apprehenſo Syndicali ſuo ſceptro ſedare adniſus eſt; ſed parum promouit, nullumque neque ipſius auctoritas, neque exhortationes apud illos locum inuenerunt, donec Amyottus Perrinus ſupmus Geneuę rei militaris Præfectus ſuperueniret, qui cernes ſeditionē magis incaleſcere, animoſque contra ſe etiam amplius hinc inde inflammari, Henricum Haubert Syndicū appellat, vt pro auctoritate, qua fungeretur, tumultum, ſeuerè imperando, compeſceret; in quo ſe is valde tepidum & puſillanimem oſtendit, quippe recens ad hunc honoris

ris gradum vocatus, neque ſatis inſtructus, quẽadmodum alij imperio metuque coerceri deberent. Extracto igitur ex manu eius Syndicali baculo Perrinus Præfectus extollit vehementer vocem, alteque exclamat, obedire illos magiſtratui oportere, hocq; ſæpe repetit, & magna voce eos obiurgat, rogatq;, num agnoſcerent hunc baculum, & magiſtratui, qui eo repreſentaretur, obtemperare in animũ inducere poſſent? Victi auctoritate viri, exhortationibus, increpationibus, & paulatim dilabũtur, & domum ſe quiſq; conferũt, eſtque hoc pacto hic tumultus atq; ſeditio ſedata. Non multo pòſt, quam dilapſi omnes eſſent ſub mediam noctẽ quatuor Syndici, & vnà reliqui minoris Concilij proceres conuocati, ad Curiam venerũt, vbi narrat Haubertus ordine rem omnẽ, quomodo geſta erat, & quæ ipſe viderat, Dominum Amyottum collaudans, qui niſi interceſsiſſet, magnam cædem fuiſſe futuram. In deliberationem vocata res eſt, & inquiſitio in ſeditionis authores, vt ad pœnam quererentur, decreta; Sed ea ipſa nocte & mane etiam Caluinus Henricum hunc Haubert Syndicum mille dolis aggreſſus, miraque perſuadens, eo induxit, vt in Concilio, quod ſtatim pòſt habendum erat, & cui Perrinus per ſua quædam priuata, quæ tum forte inciderant, negotia intereſſe non poterat,

rat,

rat,multo aliter quàm nocturno concilio feciſſet,de hac ipſa re loqueretur. Nam de Perrino queſtus eſt, quod vi ex manibus Syndicale ſibi ſceptrum extorſiſſet, cum hac verborum inſolentia, inuitis, non ſolum ipſo, ſed & Deo, & qui eum Syndicum conſtituiſſent, id ſe facturum tamen eſſe. Amici Caluino addictiſsimi, qui in Senatu erant, cum ad eam rem ſubornati & ſollicitati eſſent, currum & ipſi impulerunt, vt rueret, Perrinuſque præcipitaretur, qui aberat, ignarus proditionis & inſidiarum, quæ ſibi ſtruebantur. Dictæ autem variæ contra abſentem ſententiæ in Senatu, & eouſq; res producta, vt concluderetur, ipſum non ſolum conſcium, verum authorem etiam fuiſſe nocturni illius tumultus & ſeditionis, neque eſſe de nihilo, quod rumore de exulibus tollendis ferebatur; demum negotium intimorum Caluini amicorum opera tanta eſt dexteritate geſtum atque ſolicitatum, vt multi eo ipſo die ex ciuium liberis comprehenſi & inter hos duo viri iuuenes, alijque, qui nocturno tumultui interfuerant, ipſorum ſodales, in carcerem abrepti fuerint.

CAPVT

## CAPVT XIX.

AMyottus Perrinus clam monitus, quæ ipſi inſidiæ ſtruerētur, nihil moratus, in fines Bernenſium ſecedit, Geneua relicta; ſequunturque exemplum eius Dominus Petrus Vvandel, Balthaſares, alijque horum cognati, & inter ſe fidiſsimi amici, contra quos Caluini fautores, qui potiſſima concilij pars erant, ipſo inſtigante Caluino, occulta alebant odia. Et reperti ſtatim quamplurimi teſtes fuere, qui coniurationem de exulibus è medio tollendis factam eſſe aſſeuerarent. Quo falſo colore & impoſtura permulti adoleſcētes, ciuium liberi, abducti in carcerem ſunt, à quibus partim tormētorum cruciatu, partim ſubtilibus machinationibus, partim etiā blanditijs & magnificis ꝓmiſsis confeſſionem extorſere, cōiurationem factam, quinimo Perrinum, Vvandeliū & Balthaſares eius eſſe capita. Poſt quā cōfeſsionem in calore illo atq; impetu, nihil morati hos ipſos adoleſcentes abreptos extremo ſtatim ſupplicio affecere. Qui omnes in ſupplicij theatro cōſtituti, Deo teſte inuocato paſsim ꝓfitebātur immeritò hęc ſe pati; de quib. accuſarētur cōficta eſſe omnia, &, q̃ edidiſſent cōfeſsionē partim tormētorū nimio cruciatu, partim falſis ꝓmiſsis extortā. Quę cū eſſent ad Perrinū, Vvendeliū, & Balthaſares alioſ-

alioſque, qui Geneua exceſſerãt perlata, ad Bernenſium fidem confugientes, eorum ſe iudicio permiſerunt, ſi cauſa cecidiſſent, & culpæ huius affines eſſe, cuius Geneuæ inſimularentur, conuicti eſſent, omnem mox pœnam, quam hi decreuiſſent, ſubire parati. Et hi quidem Domini quæſtione ſuper toto hoc negotio habita, poſtquam ad ipſius rei veritatem penetraſſent, per literas miſsiſque legatis Geneuenſes ſeriò adhortati ſunt, temperarẽt ab huiuſmodi machinationibus, & nimium crudelibus exemplis, quibus, præterquam quod cum Dei illa proximorumque iniuria coniuncta eſſent, vicinorum etiam odium & offenſionem ſibi conflarent. At nullis conſilijs, nullis exhortationibus impetrare hoc à Geneuenſibus Bernenſes potuerunt, vt ab incepto deſiſtere vellent, qui plures indies ad vincula, ad ſupplicia nihilominus rapiebant; quos ijſdem, quibus priores illos, technis tormentiſq; ad ea, quæ præſcripſiſſent, quæue voluiſſent confitendum inductos, adactoſque neci ſtatim, ſimulac cõfeſsi eſſent, tradiderunt, Deum inocentiæ ſuæ teſtem implorantes, & publice ac palã, partim dolos & technas, partim tortorum tormentorumque diritatem proponentes, atque accuſantes, quibus ab illis has confeſsiones falſas, & veritati ſuiſque conſcientijs repugnantes elicuiſſent extorſiſſent.

ſiſſentque; nimirum, vt quæ ad ignominiam, dedecus, & detrimentum Perrini, Vvandeli; & Balthaſarũ vergerent, faterentur, quos innocentes, eique culpę, quam ipſis imponerent, minime affines eſſe, publicè profitebantur, pronunciabant, declarabantq;. Quæ cum ſic geſta eſſe, certò cognitum perſpectumq; Bernenſes haberent, Perrinum & alios Geneua profugos, ſuos ciues effectos, & ab huiuſmodi criminibus, quæ per impoſturam & calumniam ipſis imponerentur, immunes declaratos, in ſuam fidem & clientelam ſuſceperunt, ad patientiam eos inſuper exhortati ſunt, vt bono animo eſſent, quietique ſub ipſorum patrocinio vitam traducerent. Cuius rei locupletes ſatis teſtes ipſi Bernenſium proceres eſſe poſſe, & non grauatim quoque mihi futuros, affirmare audeo. Quoniam Beza autem in eleganti illa ſua præfatione in gratiam commendationemque magiſtri, patris, & amici ſui, in præiudicium verò, dedecus, & ignominiam Perrini, & qui cum eo tum Geneua exceſſerant, hæc aliter narrat, & contrario plane modo; ex eis, quæ illo tempore Geneuæ acciderunt, duo recitare aggrediar, ita vulgo nota, vt ea nemo, niſi omnium mortalium impudētiſsimus, inficias ire poſsit. Primum erit de adoleſcente illo Bertelier, qui per eandem impoſturam & calumniam, qua & cæteri,

quos dixi,in vinculis tenebatur. Hic cum eſſet generoſi & conſtantis animi,&iudices atque miniſtri,ſuadente & inſtigante Caluino,miſeros tantaque calumnia oneratos captiuos ſpecioſis verborum aucupijs lenocinijſque irretire,& illaqueare ſatagerent,nulla neque ad perſuadendum compoſita oratione, neque ſubdolis pollicitationibus vllis, quibus eius animũ aggreſsi nitebantur permouere, atque flectere, ad quicquam contra reclamantem conſcientiam vel faciendum,vel dicendum induci potuit. Ideoq́ue quæſtionibus ſubditus & atrociter tortus eſt, nec tamen neque in equuleo extentus neque fidiculis arctiſsime conſtrictus, quãuis ex ſaxorum ad pedes appenſorum pondere,funiculis, quibus manus colligatæ erant, ter quaterue ruptis, frangi tamen aut vinci, neque à conſtantia deduci fortis eius animus potuit. Quo conſpecto miſerè diſcrutiebantur animi. Et inter eos quidam, cui nomen Amblar Corne,excandeſcens: Tibi, aiebat, aut confitendum hoc eſt, aut toties fidiculis extenderis, donec brachia pedeſq; à reliquo corpore auellantur. nam exiſtimas obſtinatione tua Dominos te vincere poſſe? At cum nihilominus iuuenis nihil de ſua conſtantia remitteret, neque adduci poſſet, vt falſum quid, conſcientia reclamante, fateretur, ad dolum confugi-

unt.

unt.is erat, vt adoleſcentis captiui mater, quæ ſæua, horrenda & crudelia exempla, qualia Geneuæ edebantur, deteſtata, ad Caturiges, qui in Sabaudiæ finibus ſunt, commigrárat, acerſeretur. Legationem ſuſcipit hic Amblar Corne, minoris concilij Senator vehemens & acer Caluini diſcipulus, vt ad fœminam profectus eam Geneuam perduceret, ſaluti & honori filij conſulturam. Matri ille verba dare nôrat, blandis fucatiſque ſermonibus ac falſis promiſsis eius animum captans, & ex Dominis hoc illi promittens, filium non ſolum à vinculis abſolutum, ſed ad honores quoque & officia promotum iri, modo, quod poſtularent Domini, apertè ac nudè faſſus reum ſe eſſe agnoſceret, & ab Amyotto Perrino alijſque, qui Geneua profugerant ſollicitatum, ſocius coniurationis ab ipſis inſtitutæ vt eſſe vellet, quod vt faceret, adduci non potuiſſe; rogatus aſſereret. Hæc ſola eſſe, quæ Domini illum confiteri cuperent, quod ſi faceret, vinculis eximi, & honoribus augeri poſſe. Capta dulcibus & fraudulentis ſermonibus ſimplex ac credula mulier Geneuam venit, & rectà ad carcerem progreſſa, filium reperit luxatis membris admodum debilitatum, cui Dominorum voluntatem & conſilium exponit, qui in carcere ipſum potius miſerè exſtinguere

conſtituiſſent,quã ab eo vt ſe vinci ſinerét;hortatur miſera filiũ, obteſtaturque, vt Dominorũ voluntati acquieſceret,ac confiteretur,quæ ipſum confiteri vellent,quamuis falſa eſſe ipſe ſibi cõſcius eſſet. Hunc enim modum in libertatem ſe vendicandi tantum ſupereſſe, quo non ſolum vinculis eximi, verum ad honores etiam, officia & dignitates peruenire poſſet; quemadmodũ ſibi totius Concilij nomine & mandato Amblar Corne eſſet pollicitus. His adiecit miſera lachrymas,& pias deinde preces, ſuiipſius ſi miſereri nollet, miſereretur ſaltem matris, quæ ipſo è viuis ſublato, deſolata foret ſine liberis, ſine auxilio, ſine ſolatio vllo, confideret ſibi Concilij nomine factis pollicitationibus, ſibique conſuleret. Frangitur pijs his matris lachrymis atque precibus fortis adoleſcentis animus, pariturumque ſe recipit. Quod illa ad Amblar Corne, alioſque Senatores ſimul ac retuliſſet,coacto ſine mora concilio, rurſus eadem,quæ prius, interrogant. Reſpondet ille,& audacter confitetur,pollicitationibus,quæ matri factæ eſſent,plane confiſus. Vix dixerat,confeſsioque per Notarios excepta fuerat, ſententia etiam lata, & reus eſſe mortis pronunciatus,eodemque ipſo die capite plexus eſt. Quod miſera & dolens mater conſpicata, ſecus quàm ſperârat, & quàm ei cõcilij totius nomine quidam

dam ex ipſis Dominus pollicitus fuerat,eueniſſe,videns,inquam,filium morte ſublatum, & ſe proprij ſanguinis proditricem,neciſq; filij cauſam eſſe apud animũ voluens, præ mærore, triſtitia,pudore, ſuique ipſius odio,vix à ſeipſa manus abſtinere potuit. Tanquam mente capta autem furioſaque mulier Geneuã ſtatim egreſſa,querimonijſque & gemitibus aerem vociferando complens,diſcurrit ad Bernenſes,Tygurum, Friburgũ, & ad alia Heluetiorum oppida proficiſcitur,& exponit accuſatque deteſtabile & inhumanum à ſe patratum facinus, auctoribus tamen Geneuenſibus Dominis, & imprimis ſuadẽte Amblar Corne, illorum ad proditionem huiuſmodi inſtruendam legato & cõmiſſario; vindictam deinde contra Geneuam, à Deo,& Cantonum primoribus expoſcit.Neget hoc Theodorus Beza, quantum volet, aut quiuis alius; at Bernenſes & aliorum in Heluetia oppidorum proceres optimi eiuſce rei teſtes eſſe poterunt. Adeò enim hoc Geneuenſium facinore irritati, tam malè contra eos animati fuere,vt parum abfuerit,quin vnanimes huiuſmodi hominum colluuiem peſtemque funditus delere conſtituerint, præ ſumma verò indignatione in hanc vocem proruperint: Dignam infelicem hanc vrbem eſſe, quæ funditus euerſa in lacum Lemanum tota immergeretur.

At Friburgenſium aduocatus, qui initio præ cæteris in vindictam tanti ſceleris exardeſcere, zeloque iuſtitiæ cōcitatior eſſe viſus eſt, munere placatus, non ſolū de iſto feruore ſuo ipſe multum remiſit, ſed cæterorum etiam procerum iracundiam mitigauit. Et Caluinus interea & ad eius ingenium efformati, eiuſque deſiderio ſubſeruiētes reliqui Miniſtri pro concione miſeris ſupplicio ſic affectis atque exulibus etiam inſultabant, in eoſque magnis clamoribus debacchandi nullum finem faciebant, nefarios, filios Diaboli, improbos, perduelles, ac patriæ proditores, hoſteſque (qualibus iniuriarum emblematis illorum conciones exornatæ erant) appellantes. Per Franciam deinde aliaque loca paſsim ſcribebant, ſe à Religionis, reformationiſque hoſtibus quibuſdam ſingulari Dei beneficio liberatos, qui de omnibus ijs exulibus, qui Euangelij cauſa Geneuam commigrârāt, certa quadam nocte è medio tollendis coniurârāt. Neque tamen fucis coloribuſque hanc calumniam ſic obumbrare potuerunt, vt non etiam appareret conſpiceretur que à pluribus ſani perſpicaciſque iudicij viris, etiam ijs, qui Euangeliū illud profeſsi, eius ſtudio Geneuam habitatum venerant. Quemadmodum Spifamij quoque necis cauſa & occaſio tandem detecta, planeque cognita eſt, etſi neque ei colo-

colores deeſſent, ad inuidorum calumniatorum malitiam, ne ea cerni poſſet, obſuſcandam, quæſiti. Cæterum innocentiam miſerè occiſorum, & eorum etiam, qui fuga vitam ſeruârunt, euincit, & contra quaſuis inimicorum calumnias ſatis tuetur, quod Bernenſium proceres, ſapientia & prudentia clari viri, hos benignè in fidem & patrocinium ſuſceptos in ſuas vrbes admiſerint, vt pacatam illic, tranquillam, quietam vitam ipſorum ſubditi atque ciues agerēt. Caluinus autem indigniſsimè hoc ferens, dolos & technas animo verſare dies noctéſque non ceſſabat, quò ſuis mendacijs colorem obducere poſſet, veritatis vt aliquam ſpeciem, quę de occiſis fugitiuiſque effinxerat, retinerent. Contigit igitur Geneuæ res alia memorabilis à Caluino eiuſque ſocijs ſubornata, cuius hiſtoriam ſecundo loco, ſicut pollicitus ſum, recitabo.

## CAPVT XX.

ADoleſcens quidam ex familia Albani Ducis eo tempore, quo is Regis Hiſpaniarum vice Mediolanenſem Prouinciam gubernabat, Geneuam habitatum venit. De cuius aduentu Caluinus certior redditus (nihil enim erat eorũ, quę Genuæ fierent, tam minutum, quod non ſtatim per ſuos exploratores reſciſceret) ad ſe accerſitum ipſe vnà cum alijs eiuſdem, cuius adoleſcens erat, nationis, admodùm diligenter ſolicitant, vt exploratorem ſe ab Albano Duce ſubmiſſum eſſe ſimulare vellet, cui is hoc in mandatis dediſſet, vt & Geneuenſis vrbis ſitum diligenter ſpecularetur, & cum Præfecto Amyotto Perrino, Vvandelio & vtroque Balthaſare de tradẽda vrbe negotium conficeret, quod hero ſuo fuiſſent polliciti. Hi, cum eo tempore in Bernẽſium prouincijs domicilia haberent, ſimul ac de noua hac calumnia certiores facti ſunt, ad eos in oppidum ſtatim ſe contulerunt, & ſupplici libello exhibito, ſubornatum exploratorem Bernam euocari poſtularunt, vt illic ſe iudicio ſiſtens, ipſis coram probaret, de quibus eos abſens criminatus fuerat. Ad Bernenſium poſtulationem, explorator per cuſtodes, non tamen nimium rigidos, ad eos perductus eſt; per viam autem, quid eum facere dicereue vellent, apprimè in-

mè inſtructus fuit, ſignaque ei indicata ſunt, per quæ ſingulos, quibus calumnia ſtruebatur, internoſceret. Nihil ille, interrogatus, eorum prætermttit, de quibus probè fuerat edoctus, dicere; ſed cum deſignandi ſinguli illi forent, ſignorum, quæ data erant, non ſatis memor, aberrat. Nam cum reſpondiſſet, & vidiſſe ſe illos aliàs, & probè cognitos habere; productos iam, Amyottum Perrinum monſtrare iuſſus, cum duo eſſent Balthaſares, alterum horum deſignat, & Amyottum pro Vvandelio accipit. Ex quo pro ſua prudentia ſuſpicati ſtatim ſunt, & animaduerterunt Bernenſes, fallaciam eſſe atque fraudem, dolo & machinatione Caluini ſuorumque ſociorum ſubornatam & conſtructam. Itaque Geneuenſium commiſſarijs cum ſuo exploratore, vnde venerant, redire iuſſis, per calumniam falſò delatos abſoluerunt, poteſtate ijs facta, vt domum quiſque ſuam abiret liber. Negare forſan hoc Theodorus Beza poſſet cum ſuis, niſi ſubmiſſus ille calumniator cum Geneua paulo poſt diſcedens habitu diſsimulato & barba cana ad mentum affixa, in Italiam redire cogitaret, his qui calumniā paſsi fuerant impigrè perſequentibus apud Euienum comprehenſus & ad Bernenſes reductus fuiſſet; vbi tum liberè, & omnem rem plenè, atque palam, ſicut erat geſta, confeſſus eſt; quo-

modo nimirum,per quos,& cur ſubornatus fuiſſet,inductuſque ad illos calumniandum,quos neque nouerat,neque læſus à quoquam fuerat. Cuius cõfeſsionis teſtimonium, publicumque inſtrumentum communicari ſecum, ſibique per Secretarium Bernenſium dari, quos diximus,falſò accuſati rei poſtularunt; neque hoc eis negatum eſt.quod illi publicum teſtimonium ad ſuam innocentiam comprobandam,cũ inimicorum,quorum inde fraudes atque doli luce clarius conſpiciebantur, ſumma infamia, multis poſtea oſtenderunt. Dicant mihi nunc, quidnam de huiuſmodi fraudulenter & malitioſè excogitatis artibus machinationibuſque ſentiãt? ſed ij ſolum dicant,quorum ſanum adhuc ſinceruniſque iudicium eſt.Nam qui Caluinianæ ſectæ alligati ſunt eique plane ſe deuouerunt ac conſecrarunt, quod ipſum in omnibus etiam alijs ſectis locum habet, his ſolemne eſt,& proprium,quæcunque à ſuis ſectarum magiſtris deſignantur & fiunt, ea vt rata habeant, approbent,laudent,magiſtroſque excuſent, & quantum poſsint,defendãt; denique vt patriæ exitium inferri,domicilia ac bona ſua diripi,familiam proximoſque cognatos & amicos opprimi,æquiori animo ferant, quã ſectæ aliquid ſuæ decedere,magiſtriſque ſuis dedecus aut ignominiam irrogari. Memini ego miniſtros

Calui-

Caluinianos, cum ab eis quæſitum eſſet, qua conſcientia tanta mendacia tantaſque calumnias contra proximos excogitatas ſuo comprobare calculo poſſent; ad Dei gloriam id & ad impiorum Euangelij hoſtium, qui reformationi ſe opponerent, euerſionem à ſe fieri reſpondiſſe. Nam eſſe hoc in Geneuenſi Eccleſia certum, & conſtitutum quaſi dogma, vbi Dei gloria ageretur, mentiri, & mendacium deinde veritatis ſpecie fucare atque adumbrare non modo licitum eſſe, ſed & nonnunquam neceſſarium.

## CAPVT XXI.

CAluinus ad nouandas res natus & valde propenſus, vt quietem publicam turbaret, ad aliud excogitandum accingitur. Nam miniſtris Bernenſium, per illas nimirum prouincias, quas ad imperiũ ſuum adiunxerant, proponit, eiſque ſuggerit, vt bonorũ omniũ Eccleſiaſticorũ, quę Abbates, Epiſcopi, Canonici, Priores, Paſtores poſſediſſent, omnium demum beneficiorum, quę ſacerdotibus ante Religionis mutationem attributa fuiſſent, ſibi committi adminiſtrationem diſpenſationemque poſtularent. Nam id æquũ eſſe; quippe cũ in Actis Apoſtolorum exemplũ extet, ſcriptumque legatur, recens baptizatos Chriſtia-

Chriſtianos,& ad Eccleſiam adiunctos pretia agrorum, quæ vendidiſſent ad Apoſtolorum pedes attuliſſe, & per eos deinde pro ſua cuique necesſitate diſtributa eſſe. Quo exemplo Caluinus ſe etiam, quæ Eccleſiaſtici antè habuiſſent, bona quaſi in ſuam domum deriuare, adminiſtrationemque inuadere poſſe putauit. Bernenſes autem ad hos ſermones ſurdi, ipſis domum remiſsis, ſeuerè vetant, ne ea de re verba vnquam amplius faciant, ſed ad ſuam quiſque functionem concionandíque munus redeat. At verò Caluinus quamuis de hac arce deiectus & ſpe ſua fruſtratus, non quieſcit tamen, ſed Magiſtro Petro Vireto, Lauſannēſi, alijſque recens ſubiugatæ terræ Miniſtris ſuggerit, neceſſariam Miniſtro excommunicandi poteſtatem eſſe, ſine qua nimirū malos falſoſque Chriſtianos à bonis & ſinceris ſegregandi authoritate miniſterium vileſceret, Deique verbum in contemptum veniret. Id cum in illorum conſiſtorijs expoſitum fuiſſet, per omnes illarum ditionum claſſes eligendos certos aliquos eſſe, deliberatum & cōcluſum fuit, qui ad hanc rem impetrandam atque efficiendam ſupplicem Dominis libellum porrigerent. Sed cùm ſapienter, quid Miniſtri poſtularent, & quanti hoc eſſet ponderis, quod ſibi permitti concedique vellent, apud ſe in concilio Domini

ni

ni expenderent, de hac re, eiuſque magnitudine vnus de illis verba faciens, demonſtrauit concluſitque tandem, multò præſtare ſub inquiſitionis rigore in Hiſpania, quàm apud Bernenſes commorari atque viuere, tanta ſi ſemel Miniſtris poteſtas fieret, vt, quos liberet, excommunicare poſſent. Reſponſumque idcirco Miniſtris eſt; Quæ illis mandata eſſet concionandi populumque inſtituendi prouincia, huic ſedulo incumberent; hanc vero rem miſſam facerent, neque de ea loquerentur in poſterum. De quo Caluinus certior factus, vt erat inquieto ingenio, & in propoſito ſuo perſequendo obſtinatus, vrget eo etiam magis Miniſtros, & coràm & per literas, nullumque vrgendi finem facit, donec tantum pleroſque exacuiſſet, & inflammaſſet, vt profiterentur, miniſterio defungi ſe malle, quam hac excommunicandi poteſtate deſtitui. Dicebant enim, nihil hoc aliud eſſe, quam Euangelium contaminare & cœnã prophanare, ſi ea promiſcuè bonis ſimul & malis, & non minus ijs, qui vitijs obnoxij, quàm qui virtutibus dediti eſſent, exhiberetur. Atque idcirco Bernam iterum reuerſi eiuſdem argumẽti alterum libellum ſupplicem pręſentarunt: Et reſponſum iterum eſt, aduocato ex totius concilij ſententia edicente; abirent, & quod ipſis mandatum eſſet concionandi populum-

pulumque inſtituendi munus exequerentur, neq;, vt huius rei cauſa reuerterētur, opus eſſe. nam Dominos nunquam, quod poſtularent, conceſſuros, neque per ſuas ditiones excommunicandi vllam vnquam aliam rationem poteſtatemque admiſſuros, quam quæ per iudicis ſceptrum fieret, qua improbos & ſceleratos ille pro ſuis quiſque criminibus puniret ac plecteret; cuius rei cauſa gladium accepiſſent. At Caluinus cōtrà, qui ab eo, quod animo ſemel concepiſſet, rupe quauis durior, & immotus magis, deduci non poterat, Viretum alioſque Miniſtros ſibi addictos deuotoſque porrò incitat, boni paſtoris officium eſſe inculcans, non ſolum in paſcua læta oues deducere, verùm ſolicitum etiam eſſe, ne qua ſcabies gregem infeſtet, & ſi quam ſcabioſam ouem conſpiciat, à reliquo grege ſeiungere, vt non grex totus inficiatur. His adijcit, literas ad ſe ex varijs Franciæ locis, oppidis atque caſtris perlatas eſſe, quibus multi ſibi miniſtros verbi Dei mitti poſtularent. Quæ inſtillata illis noua opinio Miniſtrorum audaciam multum confirmauit, auxitque plurimum, adeo, vt quidam, inter quos etiā ipſe Viretus fuit, tertio & quidem ſuo ipſorum nomine tantummodo, cum Bernam idcirco profecti eſſent, arrogāter, & obſtinatè cōtendere, & hanc excommunicādi, maloſque à cœna re-

pellēdi poteſtatē à Dominis extorquere adniſi ſint,quā niſi ab ipſis impetrarent, nō ſe Chriſti Natiuitatis feſto,quod inſtaret,cœnam admi-niſtraturos,ſed miniſteriū etiam deſerturos minabantur. Qua tanta proteruia & arrogantia mirum in modum offenſi Domini,proſcribendos ignominioſè, & cum infamiæ quadā nota eſſe decreuerunt,dimittendoſq; cū literis, quas ad Præfectos ſuos ſinguli perferrent,quarū hęc eſſet ſentētia,vt lectis literis eos,qui attuliſſent, Miniſtros publice per tubæ ſonum & ignominioſe proſcriptos ſtatim denunciarēt. Singulis datæ huius argumenti fuere, clauſæ diligenter,& ſignatæ: quas ferebāt, ignari ſuo ſe iugulo gladium adferre; quod in maximam illis vituperationem,probrum, atque dedecus cedebat. Nam ſimulac reuerſi domum fuere,omnes publicè,vt imperatum erat, & cum ignominia proſcripti ſunt, vno Vireto excepto, qui clam de eo per intimos amicos admonitus, rectà Geneuam contenderat, minime delatis ad Præfectum Lauſannenſem literis. Qui, Vireti hac fraude cognita, Primoribus aliquot ciuitatis comitatus, domum eius adit, omniaque ſcrutatus, & imprimis conclaue, plurimas reperit ad Viretum manu ipſius Caluini ſcriptas literas, per quas variæ & ſubtiles machinationes, vaferrimæ ar-

tes

tes deteƈtæ fuere, à Caluino primum excogitatæ, ſed ad quas Vireti opem, auxiliatricemque manum expetebat; inter cæteras autem etiam illæ erant, quibus incitauerat Viretum ad excommunicandi illam poteſtatem poſtulandam, aut, niſi eſſet conſecutus, ad miniſterium deſerendum. Reperta etiam Amboiſiana illa machinatio atque coniuratio contra Franciſcum II, Francorum Regem; ſed & mille aliæ nouationes, quarum author eſſe atque inceptor Caluinus moliebatur, inuētæ fuerūt. Ex his epiſtolis binæ & quadraginta Bernenſibus Dominis præſentatæ, & mirum in modum ex earum leƈtione offenſi fuere; ex quibus quàm maligno ſpiritu agitaretur Caluinus quantaque eius iniquitas eſſet, cognoſcerent. Quem Theodorus Beza nihilominus laudibus in cœlū ferre, & ſuper omnes alios leni admodum animo fuiſſe, benigno, tranquillo, pacifico perſuadere conatur, ratus cum ſtolidis ouibus, vel inconſideratis vitulis, quos facile decipere queat, ſibi rem eſſe.

CAPVT

## CAPVT XXII.

AD extremos eius annos veniamus, videamuſque, quam varijs ante obitum morbis afflictus conſumptuſque fuerit. Scribit Beza, phthyſi, colica, aſthmate ſeu reſpirandi difficultate, calculo, podagra, hæmorroidibus vexatum fuiſſe, præter ſibi familiarem hemicraniam & acres capitis dolores, quibus plerunq; torquebatur. En tibi varia & diuerſa, quæ ſimul in ipſum ingruerunt, morborum genera & cum quibus valdè miſerè per multos annos, imo verò vſque dum ſpiritum exhalaret, conflictatus fuit; certum & expreſſum diuinæ aduerſus eum iræ indicium ac teſtimoniū. Quod ſi quis, multos etiam ſanctos homines, dum in hac vita eſſent, dira multa, & in corpore, & in bonis perpeſſos, alleget, & de Iob ſatis cognitum omnibus exēplum proferat; Reſpondebo, ſic Deo viſum fuiſſe, vt tanquam illuſtre patientiæ exemplum futurus in bonis hic atque corpore affligeretur; ſed ad fiduciam in nobis ſtabiliendam confirmandamque, nūquam ſe iuſtum, ſibi ex amino ac verè fidentem deſerturum, omnibus eūdem Iob calamitatibus liberatum, omni felicitate, & multis rurſus magniſque muneribus cumulaſſe. Quod S. Iacobus cap. 5. epiſtolæ ſuæ Canonicæ pulchrè in hęc verba explicauit; Suffe-

rentiā, inquiens, Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis, hoc eſt, exitum atque finem, quem eius afflictioni Dominus impoſuit; Et vidiſtis, inquit, quoniam miſericors eſt Dominus & miſerator. Quibus verbis ſententias nobis Dauidis proponere & in memoriam reuocare Apoſtolus voluiſſe videtur, quæ ſunt 33. Pſalmo, quibus ſuo exemplo ad Deum laudandum, timendum, eique fidendum, eius gratia & benignitate erga bonos, ſeueritate contra malos propoſita, inuitat; Oculi Domini, inquiens, ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum; vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Clamauerunt iuſti & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus liberauit eos: Iuxtà eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit: Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Et ſequitur: Mors peccatorum peſsima, & qui oderunt iuſtum, delinquent. Sic prioris ad Corinthios epiſtolæ cap. 10. D. Paulus Dei filijs & electis, ſi in hoc mundo in calamitates & miſerias incidere ipſos contingat, certam liberationem felicémque exitum promittit: Fidelis, inquiēs, Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſsitis ſuſtinere. Sed ad Caluinum noſtrum, &

ad

ad grauiſsimos eius, varioſque morbos, quibus miſerè ad extremum vſque ſpiritum excruciatus fuit, reuertamur; quem præter eos, quos Beza referente commemorauimus, eo quoque morbi genere afflictum conſtat, quo iuſto Dei iudicio quoſdam manifeſtos & apertos Dei hoſtes, qui diuinum honorem atque gloriam inuaſerant, ſibique vſurparant, vexatos punitoſque legimus, is eſt pedicularis. nam & hi vermes totum eius corpus peruaſerunt, & fœtidiſſimo, ac virulentiſsimo vlcere circa vere͂da, vermibus has ſic fœdè vlceratas partes miſerrimè corrodentibus, percuſſus eſt. Sic quondam Honorius ſecundus Vvandalorum Rex, poſtquam Eccleſiam Orthodoxam annos octo perſecutus fuerat, pediculari tandem morbo conſumptus eſt; Sic Arnulphus Imperator, Caroli Craſsi ſucceſſor, magnus templorum violator, vaſtatorque; Sic Maximianus immaniſsimus Chriſtianorũ hoſtis; Sic Antiochus Epiphanes homo ſumme nefarius, impius & magnus veterator, qui templo Hieroſolymitano nefariè expilato ad veri Dei contemptũ Iouis in illo ſimulachrũ ſtatuit & erexit; Sic crudelis Herodes, qui innoce͂tes pueros ſuſtulit, ſibiq; Dei honorẽ & titulũ vſurpauit; ſic inq̃, hi omnes nefarij & ſcelerati à vermibus corroſi, extincti ſunt. Sic demũ plures alij hypocritæ Deiq; hoſtes, qui præ-

textu & colore ſanctitatis atque zeli aſſumpto, veritatem oppugnauerant, iuſto Dei iudicio & vindicta in hac vita à pediculis grauiſsimè vexati, & à vermibus miſerè corroſi poſt longũ & diuturnum cruciatũ exterminati ſunt, morteque extincti, & poſt hanc in alteram illam lõge miſerrimam mortem ad æternas illas infernales pœnas in perpetuum cruciandi ſunt præcipitati. In quos illud Pſalmiſtæ veriſsimè quadrat: Duplici contritione afflixit illum. Quomodo ſane duplici conſummatione Caluinus dici poteſt conſumptus. Nam quicquid ſcribat Beza, quantumuis ſe illis, qui mortem eius impiè traductæ vitæ amplum ſatis teſtimonium tuliſſe cenſent, opponat, & Caluinum filiorum Dei morte ex hac vita exceſsiſſe, contendat, veriſsimum tamen eſt, quod grauiſsimos dolores & aſperrimos cruciatus, quibus Dei in illum ſeuera grauiſsimaque manu ingruente excruciabatur, non ferens, Dæmonibus inuocatis, iurans, execrãs & blaſphemans miſer expirauerit. Cuius illi teſtimonium perhibuere, qui decumbenti ad extremum vſque halitum miniſtrârunt. Idcirco neget, quantum volet Beza, negentque alij, ſatis ſic ſe rem habere exploratum eſt; imo hoc etiam, quod diem atque horam deteſtatus ſit & execrârit, quam vnquam ſtudijs vel ſcriptionibus impendiſſet, cum ex
vlce-

vlceribus totoque corpore grauiſsimi fœtores emanârunt,ob quorum graueolentiam & ſibi ipſi grauis,&, quæ eum circunſtabat,familiæ erat. Quam cauſam fuiſſe etiam hi eius domeſtici narrarunt, quod viſitari ſe nollet. Cæterum Theodorus Beza aliud quid recitat, quod ad magnum etiam, Magiſtri ſui,amici atque parentis, Caluini encomium & honorem pertinuiſſe cenſet;id ego ſilentio præterire non debeo,ſcilicet,cum per morbũ domi detineretur, & idcirco conciones lectioneſque neceſſario intermitteret,otioſum tamen minimè deſediſſe, ſed domi etiam ſuæ labori ſedulo incubuiſſe, & eo quidem tempore poſtremam ſuam Inſtitutionem Latinam ſimul & Gallicam, & auſpicatam,& abſolutam ab ipſo eſſe. Vbi non erit abſonum,ſi quis Bezam interroget, quænã illa fuerit poſtrema Inſtitutio ab ipſo tum cœpta & abſoluta. Non enim eſt nobis niſi prima illa conſpecta,quam diu antè & compoſuerat, & in lucem emiſerat. Quæ ſi tam erat bene, adeoque abſolutè facta ſcriptaque,nihil vt in ea deſideraretur, quod fuit operæpretium, toties eundem formare & reformare? En tibi autem in aperto mendacio deprehenſus tenetur, quo affirmauerat, magiſtrum ſuum & parentẽ Caluinum ita extremè & abſolutè doctum fuiſſe, nunquam vt ſententiam aut dogma à ſe prola-

tum aut ſcriptum retractauerit, correxeritque. Cæterum aſtum Caluini cõſidera: reprehenſus quippe & hæreſeos notatus ab ijs, qui in eius Inſtitutionibus primæ & ſecundæ editionis, craſſos eius errores falſaſque ſententias multas offenderant, ipſe errores in libris ſuis admiſſos primum corrigebat, ac tum, ſuppreſsis prioribus exemplaribus, & alijs in lucem editis nouis, illos, à quibus erat reprehenſus, quiue cenſura interpoſita, erroris eum hæreſeoſque damnauerant, laceſſens, eis ſe audacter opponebat, mendaces, impoſtores, calumniatores vocans, & ad illam editionem appellans, ex qua errores ſuſtulerat. Per quam impoſturam abſoluti alicuius & irreprehenſibilis doctoris, qui nihil à ſe ſcriptum dictumue retractaſſet, qualis videri haberique ab omnibus cupiebat, nomen ſibi & opinionem parare conabatur.

CAPVT

# CAPVT XXIII.

SED de Caluini vita, maligno ingenio, impoſturis, de eiuſdem immenſis doloribus, quibus ante obitum potenti & iuſta Dei dextra miſere excruciatus fuit, deque eius animam agentis impatientia atque deſperatione ſatis ſuperque hactenus dictum eſt; ſequitur, vt de doctrina iam, & quanta ille ſinceritate in ſacra ſcriptura tractanda verſatus ſit, diſpiciamus. Illum enim Beza in præfatione ſua ſuper omnes omninò ſanctos Patres doctoreſque tam veteres, quam noſtri ſeculi, qui vnquam ſcriptis doctrinaque excelluiſſe leguntur, extollit, tanquam qui omnes poſt ſe longè reliquerit, cum res multo ſecus ſe tamen habeat. Nam ex omnibus, qui vnquam extiterunt, hæreticis (de illis loquor, qui religionem Chriſtianam profeſsi fuere, & zelo ſe Dei agi iactárunt) qui ſimilia fecerit, & de Deo magis abſurdè & impiè locutus ſit, atque ſcripſerit, neminem fuiſſe credo; idque feciſſe eum aut per turpem ignorãtiam, aut Diabolicam maliciam, aut vtraq; ignorantia ſimul & malitia transuerſum actum iudico. Cum enim maligno, ad vindictam valde propenſo, & improbo animo fuiſſe ſatis hactenus à nobis probatum, adeoque cer-

tum ſit; quis dicat vere dictum, ſapientia, atque Dei rerumque diuinarum pura, incorruptaque cognitione imbutum eſſe potuiſſe, ſcriptura contra teſtimonium perhibente, In malignam animam ſapientiam non ingredi? Neque tamen, iam enim aliquid de eius doctrina dicendum, inficias eo, eloquentem hominem fuiſſe, in linguarum cognitione verſatum fuiſſe, vidiſſe multa, legiſſe & ſcripſiſſe etiam multa; ſed ad veram diuinarum ſcripturarum & ſinceram cognitionem intellectumque ipſum penetraſſe, hoc eſt, quod plane pernego. Ex ijs, quæ de diuina prouidentia, de præſcientia & prædeſtinatione ſcripſit, quis recti ſanique iudicij eſt, qui non clarè perſpiciat, Manetis Perſæ hæreſin, à quo Manichæi nomē ſunt ſortiti, reuexiſſe, qui omnia non modo bona, ſed mala etiam ex æterno quodā Dei, decreto neceſſariò plane fieri aſſeuerārunt. Quod licet ijſdem plane verbis Caluinus non dicat, ijſdemque terminis, tantundem tamen ipſum dicere me demōſtraturum deinceps confido. Vbi notare hoc conuenit, ſathanæ hunc dolum eſſe, vt veteres olim damnatas praxes hęreſeíq; reſuſcitaturus, poſt lapſa aliquot temporum ſpatia, ambitioſos & arrogantes homines inquirat & inſtruat, per quos eaſdem rurſus diſſeminet; transformet autem, & tegat alijs verbis, alijſque coloribus obdu-

obductas proferat, ne agnoſcantur, vt ſimplicibus incautiſque, ne ab illis abhorreant, facilius imponat. Et his quidem facile imponere poteſt; at docti & ſapientes homines, ſanctique ſpiritus numine afflati ſtatim, licet ad fucum faciendum alio colore tinctas, agnoſcunt tamen, viriliter reijciunt, efficaciterque conuellere nôrunt. Quod Conſtantini magni tempore ſic eueniſſe conſtat, circa annum Domini plus minus trecenteſimum viceſimum octauum; quãdo Arius, presbyter Alexandrinus, per huiuſmodi Sathanicum aſtum atque dolum damnatam diu antè, & in Epiſcoporum ſynodis reiectam Ebionis, Artemij & Pauli Samoſateni falſam & erroneam doctrinam renouauit. Quippe latere hoc Alexandrum Alexandriæ Epiſcopum diu non potuit, qui Ario Dei veritatiſque hoſtis Diaboli inſtrumento ac miniſtro venenum Ebionis, aliorumque propagante & diſſeminante, quamuis alijs verbis palliaret, ſtatim hoc agnouit, detexit, vicinoſque Epiſcopos, vt cauerent, admonuit. Sic Caluinus noſtro ſeculo Manetis hæreſim effoſſam eruit, & in conſpectum, alio tamen ornatu circundatam cinctamque protulit. Quamuis enim fatalem neceſsitatem nõ nominet, neque cum de ea ſermonem inſtituit, tam claris apertiſque verbis vtatur, (ita enim nimium ſe pro-

deret,fuiſſetque ab vniuerſa ſtatim Eccleſia repudiatus) nihilominus in hominum actionibus neceſsitatem, Laurentij Vallæ ſententiam probans laudanſque, conſtituit. Qua de re in proprio de Dei prouidentia opere, quod poſt hoc, Deo approbante, propediem ſequetur, copioſè tractaturum me ſpero. Cum ſcribit autem, defenditque Adam Dei ordinatione & æterno decreto in peccatum neceſſariò eſſe prolapſum; cum Adæ poſteros quoſdam, qui ſaluentur, eſſe electos, alios ſempiternæ morti deſtinatos, docet, & diuerſitatis huiuſce primam præcipuamque cauſam eſſe Dei voluntatem aſſeuerat, ſententiam quandam D. Auguſtini ex eius ſuper Geneſin libro ad hoc comprobandum allegans, qua, quæcunque ſunt, fiuntque, eorum omnium ſolam Dei voluntatem cauſam exiſtere, ille aſſerit; huiuſmodi cum de Deo docet, nonne Deum ſummè vituperát & traducit? Quis enim adeò durus & inhumanus pater eſt, qui vt necet, vt laqueo perimat, vitamque adimat, idcirco filium generat? O doctrinam impiam. Deum ſcriptura mille in locis pronunciat deteſtari peccatum & prohibere, neque damnatorum perditione atque punitione delectari; vt quis pereat, ab ipſius voluntate alienum eſſe; ab ipſo non eſſe, quod Iſrael ſe perditum eat, & filiorum numero excidat; ex-
probrare

probrare autem eis, quod non intermiſerit facere quæcunque optimum, benigniſsimum, & miſericordiſsimum parentem pro filiorum ſalute præſtare conueniat. Hæc de Deo ſcriptura prædicat: Caluinus autem hunc tam benignũ parentem quoſdam idcirco, vt perderet atque damnaret creaſſe & in hunc mundum produxiſſe affirmat. Hanccine igitur doctrinam aut manifeſta ex ignorantia, aut Diabolica malitia, aut ex vtraque ſimul profectam eſſe animaduertimus? Iam Auguſtino tam ſancto Patri affingere, quaſi ille dixerit eorum, quæ in mundo fiunt, omnium Dei voluntatem ſolam cauſam eſſe, cæca grandiſque vel ignorantia eſt, vel malitioſa impoſtura. Quam enim ſanctiſsimi Patris ſententiam producit, ea ſignificatur, tot & tam diuerſa animantium genera eſſe volatiliũ, piſcium, quadrupedũ, reptiliũ, omniſque, quæ in rebus creatis eſt, conditionis atque ordinis, aliam rationem dari non poſſe, quam quod ſic cõdi, creariq; Deus voluerit, & ſic illi placuerit; cum hoc ſcriptura dicat, ſicut Deo placuit, ſicut voluit, ita cuncta tam in cœlo, quam in terra facta eſſe & producta. Caſus verò rebellionis & malorum ſpirituum, Apoſtaſiæ, peccati & tranſgreſsionis Adam, eorumque criminum, quæ mali quotidie perpetrant, authorem Deum facere, ita quidem, vt eius voluntate

& æter-

& æternum decretum harum omnium rerum cauſa eſſe aſſeratur; quam eſt craſſa ignorantia & quanta cum Dei ignominia coniuncta, contraque diuinum honorem quam euidens eſt blaſphemia? Quod vnquam ſenſiſſe aut dicere voluiſſe optimum pijſsimumque doctorem Auguſtinum quis credat? Hinc itaque luce meridiana clarius Caluini ignorantia & Diabolica elucet malicia. Quem plurimas, ſi quis aduertat, diuinæ ſcripturæ ſententias mirè ſic contortas inuertere, contraque verum genuinumque ſenſum interpretari reperiet; quas ego tamen in id, quod dixi, quodque propediem in lucem emittere opus decreui, reijcio & reſeruo. Nunc vero deinceps, quãta is Ieſum Chriſtum Dei filiũ Dominum & redemptorem noſtrum ignominia & probro affecerit, videamus.

## CAPVT XXIIII.

DVO autem tantummodo, ne ſim prolixus & auditori lectoriue moleſtus, in medium adferre decreui, reliquis alteri operi reſeruatis. Primũ erit de eo, quod Epiſtolam ad Hebræos exponens ſcripſit, ad quintum caput præcipuè, vbi D. Paulus in orationis, quam Chriſtus parum antè, quàm Iudæis in manus traderetur, in monte Oliuarum ad patrem direxit, mentionem incidens, Et exauditus eſt, ait, pro ſua reuerẽtia; quo-

quomodo in veteri & vulgata editione legitur. Caluinus autem communem interpretationem in Eccleſia ab omni antiquitate approbatam reijciens, hanc vocem εὐλαβείαν metum & dubitationem exponit, manifeſtos ſiue imprudens ſiue malitioſè errores committens. Primò, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum adeò terribili, ait, mortis terrore concuſſum, vt quaſi in deſperationem incideret, anxius & ſolicitus, ne à morte abſorberetur & deglutiretur. Nam his vocibus Latine ſcribens vſum eſſe, qui librum habent, videre poſſunt, quod Gallicè expreſsit *il y a englouty*. Maiorem in Chriſtum eiuſque dignitatem, blaſphemiam vel Ebionem, vel Artemium, vel Paulum Samoſatenum, vel horum ſectatorem Arium, vel ipſum denique Mahometem vnquam protuliſſe non reperio. Nam imprimis Chriſti diuinitatem inficiatur, conuellitque, talem eum nobis exhibens, qui finem ſuum ignorauerit, neque ſecurus planeque certus fuerit, Dei ſe filium eſſe, qui vitæ & necis ſuæ poteſtatem plenā obtineret. An vero ignorabat Caluinus, quæ à Chriſto anteà dicta fuerant, quæue in Euangelij Ioannis cap. 10. referuntur? Propterea diligit me pater, quia pono animam meam, vt iterum ſumam eam. Nemo tollit eā à me, ſed ego pono eam à meipſo. poteſtatem habeo ponendi eam, & po-

& poteſtatem habeo iterum ſumendi eam, hoc mandatum accepi à patre meo. Optarem ego, vt hic miſera Caluini mancipia, nimis ei miſere addicta ac deuota, cõſiderare vellent, quonam pacto Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ne à morte abſorberetur, hæſitare ac metuere potuerit, cum verus & Deus, & homo eſſet, qui neque cur in hunc mundum venerat, cauſam vnquam ignorauit, & quem neque, quo mortis genere tollendus eſſet, neque modus, inſtrumenta, authores, incitatores, imo ne locus quidem & hora, vbi & quando paſſurus eſſet, vnquam latuere. Præterea ſi caput noſtrum, quod fidei, ac ſpei noſtræ, eiuſque certitudinis atque fidentiæ, quam in diuinis nos habere promiſsis conuenit, fons eſt, origo, atque perfectio, ſi hæſitauit, ſi exhorruit, vacillauitque, quid nos debilia eius & infirma membra, quantam in nobis dubitationem reſidere, quàm parum ſecuros certoſque eſſe oporteret? At vero Eſaias aliquis medius, & quidem viuus diſſectus, ità hunc tamen extremum & maximum dolorem tulit, ac ſi nullum neque malum, neque pœnam perſentiſceret. Ananias, Azarias, Miſael adoleſcentes, in ardentem fornacem miſſi, tantum abfuit, vt eiulantes animum ſpemque abiecerint, metuerintque, ne in medijs flammis à morte deglutirentur, vt etiam laudes Deo atque

atque hymnum decantauerint. D. Stephanus lapidibus obrutus non modo non eſt turbatus, neque timore concidit, ſed pro ijs, qui lapides in ipſum confertim iactabant, neciſque eius authores erant, Deum deprecatus eſt. Marcellinus cum fratre Diocletiani iuſſu multis confixus ſentibus, quaſi dolores mortemque ridens, lætus hunc Pſalmum decantabat: Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum. Denique infiniti alij non Chriſtiani modo, & de vita æterna ſecuri, verumetiam gẽtiles magno animo mortem contempſerunt. Et ipſe Dei filius omnes mortales magnanimitate & conſtantia longe ſuperans, adeò quidẽ, vt ne ad milleſimam quidem eius, quæ in ipſo fuit, magnanimitatis atque conſtantiæ partem pertingere quiſquam vnquam potuerit, illene vt animum, quod Caluinus ait, deſponderit, & in adeo fœdum, abiectum, extremumque timorem prolapſus ſit? Nimium hoc ignominioſum eſt de Dei filio ſentire vel loqui. Cæterum Caluini ſummam ignorantiam malitiamue agè hic contemplemur. Qui ad confirmandam opinionem ſuam vſitatam Græcæ huius vocis εὐλαβείας interpretationem im mutat; quę omniũ Gręcæ linguæ peritorum iudicio metũ, cautionẽ, reuerẽtiam atq; pietatẽ denotat, hoc eſt, cultũ, officiumque, ꝗ Deo primũ, tum parentib.

&

& demum honoratis & in dignitate aliqua conſtitutis viris debemus. Eſt vbi & hanc eius vocis ſignificationem, vt ab officio & ratione diſceſsionem deſignet, reperias; neque reperies tamen, vbi ignominioſum huiuſmodi aliquem ſeu timorem ſeu metum, qui ex animi puſillanimitate ob imminens aliquod periculum proficiſcatur, ſed vbi honeſtum ex amore & reuerentia natum timorem potius ſignificet, quo erga quenquam ob eius dignitatem atque excellentiam plerumque afficimur. Quod ex voce εὐλαβὴς, quæ hominem religioſum atque verecundum denotat, magis etiam fit perſpicuum. Caluinus autem nō pro honeſto huiuſmodi timore, ſed in peiorem partē detorquens, pro horrore atque tremore accepit, quo quis ob ineuitabile aliquod periculum quaſi deſperabundus concutitur, cui quidem, anxium atque atrum, epitheta dari conſueuerunt, qualem in Chriſto Ieſu Domino noſtro horrorem fuiſſe nemo ſanctorum Doctorum vnquam admiſit. Sed alterum etiam inſignem errorem in ſua verſione committit, præpoſitionem ἀπὸ omnino aliter quam Græcè docti viri omnes, interpretans: Neque enim περὶ pro ἀπὸ quod à ſignificat, vel ab, vſurpatū vſquam reperias. Vbi ſi quis mihi obijciat, nō inueniri quoque, vbi (pro) vt eſt in vulgata verſione ſignificet,

cet,

eet; huic primum reſpondeo, præſtare multo, ſatiuſque eſſe, eum vocabulorum vſum, qui tẽpore confirmatus ſit, & ab eccleſia receptus, retinere, quàm temerè nulla neceſsitate efflagitãte ſic immutare ac detorquere, vt contra Dei eiuſque filij Ieſu Chriſti honorem atque gloriam vſurpentur. Deinde ſi Caluinus tanta fuit eruditione præditus, quantam illi Beza affingit, an non ἀπὸ interpretari, pro vel iuxta, poſſe, obſeruare potuit, ſicut ἀπὸ τῆς ἴσης οὐσίας, ex æquis viribus verſum legimus? quid vetet igitur, vt non hoc etiã loco ἀπὸ τῆς εὐλαβείας per (ex vel pro) reddatur? Adhæc, ſi Caluino hunc locum genuino ſenſui reſtituere ſtudio fuit, quid eſt, quod tanta temeritate & audacia ad textum adijciat pronomen hoc, ſuo? Ait enim exauditum fuiſſe à ſuo timore, quamuis minime ſic quidẽ, ſed abſque pronomine hoc αὐτοῦ, tantum ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, pro reuerẽtia, Græcus codex habeat. Nimis fortaſsis vrgere hunc locũ videbor, & diutius immoratus eſſe, ſed hoc feci præcipuè, vt Caluini huius, quem Beza ſuper omnes, qui fuerunt vnquam, omnium temporum doctos euexit, aut inſcitiam, aut malignitatem, aut ſimul vtrãque euincerem, ac clarè ſpectandam exhiberem. Addicant ſe verò deuoueantque, qui volent, Caluini doctrinæ, eiuſque hæreſin propugnent, ego referam, quæ ex

ſcriptura ſacra, & ſanctorum patrum ac veterum Doctorum, qui S. Apoſtolis proximè ſucceſſerunt, ſententijs ſuper has Ieſu Chriſti preces, & Apoſtoli hunc ad Hebræos locum, collecta habeo. Ante omnia verò hoc notare conuenit, eam Chriſti orationem non eſſe per eos, qui audierunt præſenteſque fuerunt, inſcripta relatam. Sunt enim hæc geſta, & à Domino noſtro Ieſu Chriſto verba hæc in monte Oliuarum prolata, quò non niſi tres ex ſuis diſcipulis adduxerat, reliquis Gethſemani relictis. Et hi tres tamen longè ab eo ſemoti, quantum iactus eſt lapidis, & graui etiam ſomno preſsi erant. Itaque ſpiritus ſanctus, cuius inſtinctu & inſpiratione non per falſos, ſed veros ſinceroſque verbi Dei miniſtros hæc ſcripta habemus, inſtruere nos per hanc orationem, & manifeſtam nobis facere voluit Chriſti Ieſu Domini noſtri dignitatem, magnificentiam, excellentiam. Qui, vt eodem quinto capite epiſtolæ ad Hebræos ſcriptum legimus, in diebus carnis ſuæ, hoc eſt, veſtitus ſubſtantia & natura humana, ab hominibus nihili habitus, à Iudæis verò etiam tanquam improbus aliquis ac latro tractatus, preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſet illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis obtulit. Non profugit ergo in procul remotas terras

non in ſyluas, aut deſerta loca, aut in obſcura ſe antra abdidit, neque angelis miniſtris ſuis mandauit, vt ſe conatibus inimicorum ſuorum opponerent, illis vel cæcitate percuſsis, vel confuſis, vel planè euerſis; ſed ad Deum patrem ſuum conuerſus, illũ orauit, & non ex abiecto aliquo, muliebri, puſillanimi, horroris & anxietatis, ne à morte abſorberetur, pleno timore, verum morti multo magis, quam ab æterno ad redimendum genus humanum ordinatam eſſe nouerat, ſe generoſè offerens, in hæc verba prorupit: Pater ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte, veruntamen, ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua: Vbi ſpiritus ſanctus nos inſtruit, duas in Ieſu Chriſto Domino noſtro naturas, diuinam & humanam, fuiſſe, quarum hæc corpore conſtans, neceſsitatibus naturalibus obnoxio, & rationali anima, actiones omnes naturales efficiebat, omnia ad huius naturæ conſeruationem neceſſaria appetens amplectenſque; ab alijs autem eidem naturæ aduerſis atque contrarijs rebus abhorrens; quales ſunt afflictiones, paſsiones, cruciatus, & denique mors; quæ ipſam naturam humanam deſtruit & diſſoluit; qua ergo homo erat, mortem ipſe exhorruit. Quo idem Spiritus ſanctus errorem Euthicetis apud Conſtantinopolim Abbatis,

confutare voluit, qui tertius poſt Manetem & Apollinarem, de Ieſu Chriſto docendum & defendendum ſibi ſumpſit; non humanum, ſed cœleſte illum corpus habuiſſe, quod ad inſtar ſolaris radij per virginis corpus pertranſierit, ita vt nequaquam tamen eius ſubſtantiæ particeps efficeretur; imaginarium & phantaſticum Domino noſtro & nulli paſsioni obnoxium corpus ſic attribuens. Aduerſus quam hæreticorum opinionem, vt oſtendat Chriſtum & verum hominem, & verum Deum fuiſſe, hanc eius orationem in ſcripturam ſacram referri Spiritui ſancto viſum eſt, ex qua conſtare poſſet, duplicem in eo voluntatē fuiſſe, humanam alteram, qua mortem refugerit, & diuinam, ſecundum cuius præſcriptum ratio directa ad Dei ſe voluntatem conformabat. Rurſus, quàm huius innocētis mors neceſſaria eſſet, qua niſi intercedente humana natura imperfecta permanſiſſet, & ſine ſpe aliqua reſurrectionis, declarare Spiritus ſanctus hoc ſermone etiam voluit. Et idcirco; ſi poſsibile eſt, aiebat. at cum poſsibile non eſſet, Deo ſe totum permittit reſignatq́ue, quem nunquam deſeruit, & à cuius voluntate nunquam diſceſſit, ſicut enim vna eſt vtriuſq́ue potentia, eadēq́ue ſapientia patris atque filij, ita vna vtriuſque eademque voluntas eſt. Atque hæc quidem vera &

ra & legitima huius loci expoſitio eſt, cum priſcorum & orthodoxorum patrum doctrina conſentiens, quam veri & legitimi Eccleſiæ filij ſequuntur. Caluini illam alteram ſequantur, qui ſe ad falſam eius doctrinam hæreſimq́; adiungere, eiq́ue ſe conſecrare volent.

## CAPVT XXV.

IAM alius inſuper inſignis locus eſt, in quo nimis clarè ſuam ille inſcitiam malitiamq́ue prodidit. Nam cæteras, quarum plurimæ ſunt, contrarias & inter ſe pugnantes ſententias, quod ab alijs obſeruatæ collectæq́ue ſint, ex eius libris repetere ſuperſedeo; at de hoc eius errore à nemine ſcriptum quidquam exiſtimo, qui eſt de Ieſu Chriſti ad inferos deſcenſu. Hic enim fidei articulus non minus momenti atque ponderis ad Chriſti excellentiam potentiamq́ue comprobandam habet, quam alij illi, qui de eius ſunt natiuitate, reſurrectione, & in cœlum aſcenſione. Quod licet ita ſit, Caluinus tamen, vel Satanica malitia, vel nimis ſtupida inſcitia, vel vtraque ex cauſa occultare illum & ſupprimere conatus eſt. Illa vero ſemper fuit Dæmonis malitia, vt in omnes partes & occaſiones intentus ſedulo vigilaret, Dei & filij eius Domini noſtri

Ieſu Chriſti gloriam & honorem quemadmodum obſcurare poſſet; ad quam rem tanquam inſtrumenta quædam & adminiſtros nullo non æuo homines ſuperbos aliquot, arrogantes, ambitioſos excitauit atque adhibuit, excogitans ſuggerenſque eis peregrinam aliquam & abſurdam interpretationem ad damnatas iam olim per ſanctos & Orthodoxos Epiſcopos hæreſes rurſum introducendas. Sic Arij linguam exacuit, vt ſubtiliter diſſerere, proponere, atque ſuadere eundem errorem poſſet, quem Ebion, Artemius, & Paulus Samoſatenus contra filij eandem, quam cum patre habet, ſubſtantiam prius diſſeminauerant; cautè tamen, alijs vocibus excogitatis atque ſubſtitutis, quibus iam olim cognitum damnatumque Ebionis & ſociorum eius virus, ne agnoſci poſſet, tegeretur. Nulla igitur Arius huius dictionis ὁμοούσιος, quod eſt, eiuſdem ſubſtantiæ, mentione facta, Deum aiebat non eſſe patri coæternum, ſed patrem ante verbum fuiſſe, quamquam verbum (ſic enim ipſe loquebatur) ἐξ οὐκ ὄντων eſſet, hoc eſt ex rebus non exiſtentibus; quaſi dicere vellet, quod ex rebus creatis non eſſet. Quibus verborum inuolucris tacitè Ieſu Chriſti diuinitatem negabat. Cæterum hanc eius fallaciam & impoſturam Alexander Alexandriæ Epiſco-

Epiſcopus ſtatim agnouit, agnitamque damnauit; quod dictum à nobis etiam anteà eſt. Dehinc Sathan quendam Photinum, qui erat preſbyter, ſuſcitauit, qui vt falſam doctrinam ſuam, quam cogitabat in Eccleſia ſerere, ſuco aſpergeret, nouóque colore obductam alia forma conſpiciendam exhiberet, Arianos ſimul & Orthodoxos reprehendens non minus horum, quàm illorum doctrinam damnabat, & interea tamen Ebionis eiuſque ſectatorum hæreſim ex Orco reuocabat: Nam dictionem λογὸς in Euangelio Ioannis, decretum & prædeſtinationem humanæ redemptionis, & vitæ æternæ per hominem ex Virgine natum reſtitutionem interpretabatur. Sed hic, vna cum erronea hac & falſa interpretatione à Baſilio Ancyrano, in Galatia Epiſcopo, eſt confutatus. Denique vetus eſt hoc Sathanæ ſtratagema, hæreticos ſemper aliquos excitare, qui falſis ſcripturæ ſacræ interpretationibus honorem Chriſti Domini noſtri obſuſcent, erroreſque in Eccleſiam introducant; Quod noſtro etiam tempore in Caluino experti ſumus, qui cùm multis locis, tum præcipuè hac falſa verſione, dum illud, Deſcendit ad inferos, ipſe, Poſitus eſt in ſepulchro, reddidit, Ieſu Chriſti gloriæ multum detraxit. Cum autem idcirco à quodam ſub annum Domini

mini 1552. reprehenſus eſſet, qui hanc ei nimis fœdam & vitioſam battologiam exprobrabat; ſuffeciſſe enim, quod in ſymbolo præceſsiſſet, mortuus eſt & ſepultus, neque per hæc verba, poſitus eſt in ſepulchro, idem repetere opus fuiſſe; eius rei cauſa Catechiſmos iſtius editionis, quoſcunque potuit, ſuppreſsit, & de hoc Chriſti Domini noſtri deſcenſu mentionem nullam in eis reliquit, qui ſub annum 1562. impreſſi fuere, vt enormes illas ſuas prioribus editionibus inſertas ſententias aboleret. Quo facto malam & Diabolicam ſuam mentem, malum animum in apertum protulit, non abſimilis illi, qui poſt vulnus alteri inflictum pugionem magna celeritate abſcondit, manumque citiſsime retractam in ſinum recondit, ne videatur is eſſe, qui vulnus inflixerat. Sed bene habet, extant etiamnum & reperiri poſſunt vetera prioris editionis Catechiſmi illius exemplaria, in quibus Miniſtrum hoc modo puerum interrogare reperias. Quid eſt, quod de eius ad inferos deſcenſu adiectum eſt? Et reſpondet puer, nimirum hoc eſt, quod non tantum mortem naturalem ſuſtinuit, quæ eſt ſeparatio corporis & animæ, ſed quod anima quoque eius mirabilibus anguſtijs conſtricta concluſaque fuerit, quas S. Petrus dolores mortis appellat. Deinde Miniſter proſequitur, Ob quamnam hoc rationem

&

& quomodo factum ſit interrogans; Ad quod puer; idcirco videlicet, quia ſe Deo pręſentabat ſiſtebatque, vt ei peccatorum nomine ſatisfaceret, neceſſarium fuiſſe, vt horribiles has conſcientiæ anguſtias experiretur non ſecus, ac ſi derelictus à Deo eſſet; imò verò, quaſi Deus illi iratus fuiſſet, atque in illo abyſſo conſtitutum exclamaſſe; Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti? Et paulò pòſt hoc inſuper adiungat; Neceſſe fuiſſe, vt ſic illum Deus affligeret, vt impleretur, quod per Eſaiam fuerat prædictum; quod nimirum Dei manu propter peccata noſtra percuſſus ſit. Nos autem, vt hæc cōfutemus, à poſtrema eius ſententia ordiemur, qua affirmat; idcirco Chriſtum afflictum ſic, tractatumque eſſe, vt, quæ Eſaias prædixerat, adimpleretur; vbi craſſam ſuam inſcitiam prodit, quod faciunt etiam, in eoque ipſum imitantur alij eius ſectatores, dum multos ex Euāgelio ſimiles locos; Hoc autem factum eſt, vt impleretur, quod dictum eſt, ipſi vertunt explicantque: Hoc ob hunc finem factum eſt, vt adimpleretur &c. Noſſe autem ipſum oportuit obſeruaſſeque, vocem, vt, non ſemper idē, quod Gallis, à fin, ſignificare, tanquam finalem cauſam reddat, ob quam aliquid factum ſit; ſed nonnunquam etiam earum rerum, quæ prædictæ ſunt, aut quæ pòſt futuræ ſint euentu, &,

vt ſic loquar, ſubſecutionem ea denotari atque exprimi. Sicut exempli cauſa, quod Pſal. 50. legimus; Peccaui & malum coram te feci, vt iuſtificeris, non quidem, ob hunc finem atque cauſam, vt iuſtificeris, ego peccaui, ſed pòſt vel ex meo peccato, ſubſecutum eſt, vt tua iuſtitia appareret, & quam eſſes in promiſsis tuis conſtans & fidelis, contrà quàm homines de te iudicabant, manifeſtum fieret; cum nimirum illi arbitrarentur, quod ob meum peccatum me deſerturus eſſes, & à te repulſurus, ſicut, qui me præceſſerat, Saulem abieceras & à te repuleras. Similis apud Paulum in Epiſtola ad Romanos quinto cap. locus eſt; Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum; quod non ſic accipiendum eſt, quaſi eo fine & ob eam cauſam lex ingreſſa dataque ſit, vt peccatum magis abundaret, ſed ſic euenit, vt poſtquam data lex eſt, delictum etiam magis, quam prius, creſceret augereturque. Ad eundem planè modum de Chriſto Ieſu dicendum eſt, quod paſſus multa ſit, & in vita ſua fecerit, per Prophetas antè prædicta, non quidem eius rei gratia & ob eum finem, vt Prophetiæ adimplerentur; ſed euenit, factumq; ſic eſt, vt à Sanctis Prophetis denunciatæ prædictiones, per Chriſtum in ſuis paſsionibus eiuſque rebus geſtis adimplerentur; Vbi duas res, quæ in paſsione Domini noſtri

ſtri ſimul reperiuntur notare atque diſcere nos conuenit, quarum S. Petrus ſecundo Actorum cap. meminit; quæ ſunt definitum Dei ac determinatum conſilium, deinde eius præſcientia; quæ duo inter ſe differunt. Quaſdam enim res Deus in æterno ſuo conſilio definierat decreueratque, quale eſt, quod ſe Chriſtus per crucem humiliaturus eſſet & mortem perpeſſurus; aliàs autem præuiderat, vt quidem omnia futura illi præſentia ſunt, iniurias nimirum, blaſphemias, calumnias, quas Iudæi filio ſuo illaturi eſſent. Hos autem æterno decreto in ſuo conſilio non ordinârat prædeſtinâratque, ſed præſciuerat tantummodo, ſeu præuiderat. Prudenter autem hæc duo diſtinguenda veniunt, Decretum ſiue conſilium à Deo ordinatum & definitum, eiuſque præſcientia. Quorum ex eo differentiam intelligere poſſumus, quod Ioſepho Iacobi filio accidit, vt hoc hiſtoria Geneſeos enarrat. Fratres ille ſuos poſt mortem patris turbatos & metu ſollicitos, ne memor iniuriæ eſſet, quam ab eis accepiſſet, blandè atque leniter alloquitur; Nolite timere, hoc enim ex Dei ordinatione & definito conſilio fuit, quod in Aegyptum ego venerim, vbi ille me exaltare, & in hoc dignitatis gradu collocare determinauit. Et hoc quidem decretum definitumque Dei conſilium fuit; At neutiquam

illud

illud quoque, quod in eum fratres ſæuirent, crudelitatiſque in illum exemplum ederent, quod tamen præuiderat. Quod vero Caluinus docet, eiuſque ſectatores obſtinatè tuentur, Deum determinaſſe, decreuiſſe ac prædeſtinaſſe Adæ lapſum, quomodo cæteras res omnes, quæcunque in mundo committuntur & fiunt, ſalſa opinio eſt, & iam olim ab Eccleſia damnata. Quamcunque enim excuſationem, prætextum, ſuffugium Caluinus eiuſque complices quærere atque obijcere tentent, negare nõ poſſunt, ſic cum loquuntur, hoc ſe quoque dicere, Deum peccati authorem eſſe. Sed hac de re vberior tractatio in eo opere ſequetur, quod Deo benè iuuante poſt hoc me editurum recepi. Iam Caluinus etiam audacter in Domini noſtri honorem & gloriam per hoc impingit & blaſphemus eſt, quod ea illi attribuat, quæ in eo neque fuerunt vnquam, neque eſſe potuerunt, ſyndereſim, remorſum, compunctionem & coarctationem conſcientiæ: Nam optimè ſibi conſcius, & de ſua integritate atque innocentia certus, confidenter Iudæos appellans: Quis, inquit, veſtrum arguet me de peccato; & alibi rurſus: Venit Princeps huius mundi, tanquam me meaque opera exploraturus, & in me non inuenit quicquam, quod arguat. Sed tempus eſt, vt loquamur de eiuſdem Domini noſtri Ieſu

Ieſu Chriſti ad inferos deſcenſu, qui ex præcipuis Catholicæ fidei articulis vnus eſt, non minus gloriam Chriſti illuſtrans, quam illi, quibus reſurrexiſſe eum & in cœlum aſcendiſſe credimus ac profitemur.

## CAPVT XXVI.

De quo Chriſti Ieſu Domini noſtri animæ ad inferos deſcenſu Propheta Dauid ſic vaticinatus eſt Pſal. 15. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Quæ verba B. Petrus Act. 2. de Ieſu Chriſto accipit atque exponit, cuius anima, cum ad inferos deſcendiſſet, detineri in locis profundis ſub poteſtate Principis tenebrarum nequaquam poterat; ſed poſtquam prædicaſſet & manifeſtam feciſſet ſuæ diuinitatis potentiam, glorioſè ad corpus redijt, aſſumptaque rurſus carne, quæ in ſepulchro iacebat, reſurrexit, præſentibus ſepulchri cuſtodibus, & Dæmonibus, ipſaque morte inuitis. De hoc eodem ad inferos deſcenſu, & quemadmodum his, qui illic detinebantur, prædicârit, idem Petrus in priori ſua Canonica epiſtola cap. 3. ſcribit, quod Ieſus Chriſtus Dominus noſter mortuus ſecundum corpus & viuens ſpiritu, ſpiritibus, qui erãt in carcere, veniens prædicauit, hoc

eſt, iis, qui erant ſub poteſtate mortis & Diaboli. prædicauit, inquam, incredulis, & iuſtis, & illis quidem, qui Noe tempore increduli fuerant, non vt eos conuerteret ad fidem; ſed de incredulitate cōuictos aſperè redarguit & increpauit: iuſtos verò, eos ſcilicet, qui ad pœnas peccati Originalis pendendas tantummodo in limbo detinebantur, conſolatus eſt, & gloriæ fecit participes. Et cap. 4. multo etiam clarius teſtimonium de hac Chriſti apud inferos prædicatione idem Petrus protulit. Loquens enim de impijs, qui pios iuſtoſque calumniabantur, quod à peccatis ſe vitijſque reprimerent ac reuocarent; Rationem, inquit, ei reddent, qui paratus eſt iudicare viuos & mortuos. Propter hoc enim & mortuis euangelizatum eſt, vt iudicentur quidem ſecundum homines in carne, viuant autem ſecundum Deum in ſpiritu. Quo ſignificare voluit, quod Ieſus Chriſtus prædicatione ſua apud inferos factà iudicem ſe viuorum atque mortuorum declarauit, manifeſtauitque in eo nimirum, quod impij in carne, ſecundum quam vixerunt, iudicati ſint & damnati; iuſti autem propter ſpiritum, quem diuino munere in via ducem ſecuti ſunt, vitam æternam adipiſcantur. Fateor rem hanc intellectu admodum eſſe difficilem, ſed præſtat,

cum

cum non intelligas, hoc ipſum ingenuè profiteri, quàm malè interpretando Ieſu Chriſti gloriam obſcurare aut deprimere, & ſcripturam à genuino in alienum ſenſum detorquere, idque oſtentandi ingenij cauſa, neue quicquam ignoraſſe, ſed vt omnibus numeris abſoluti, & Dei ſpiritu inſigniter & perfectè dotati atque illuſtrati doctores eſſe videamur. Qualem Caluinum fuiſſe Theodorus Beza nugacibus ſuis ineptijs & nimis apertis mendacijs, per ſummam impudentiam, & frontem erubeſcere neſciam, perſuadere contendit. Atque poſſem ego multa alia ſcripturæ loca, à Caluino in ſuis operibus minus bene verſa, & peius etiam expoſita proferre, ſed cum plerique docti & ingenioſi viri ea iamdudum attigerint, & quendam breui proditurum ſatis ſciam, qui eius errores atque inſcitiam copioſè ſit demonſtraturus, & demum, ne nimium ego prolixus lectorique moleſtus ſim, huic libello finem imponam, per quem mihi propoſitum fuit in apertum proferre, atque efficere, vt orbi vniuerſo paterent, & cognoſci ab omnibus poſſent, vita, mores, Sathanicæ impoſturæ atque fraudes, demum mors Caluini, qua iurans, blaſphemans, execranſque Deum, & extrema

cum

cum deſperatione extinctus ex hac vita migrauit. Quæ cauſa fuit, vt oſtium occluderent & ad eum inuiſendum neminem admitterent, ne videlicet occaſio rudibus & miſerè ſeductis aperiendi oculos ſuos hinc daretur, qui eius doctrina capti, eique nimium addicti, contrarium, quàm quod erant perſuaſi, cernere atque inſtrui ſic potuiſſent. Nunc finem impono & claudo hoc opuſculum, humiles & ſinceros Dei eiuſque Eccleſiæ Catholicæ filios exhortans, hunc vt tractatum noſtrum ſibi eſſe antidoton velint, applicentque tanquam præſeruans aliquod pharmacum contra peſtilentem & venenatam Caluini doctrinam, Theodori Bezæ ineptijs tectam & fucatam, cui hoc ſtudium eſt, vt ſpiritum tenebrarum in angelum lucis, & lupum in agnum transformet, atque ex mulo Elephantem faciat. Deum autem precor, vt rudes & idiotæ, miſerè à recta ſalutis ſemita abducti, & Dæmonis fraude erroribus immerſi, oculos mentis ſuæ aperiant, videantque, quantum à recta regiaque via deflexerint, & quemadmodum, cui mordicus adhærent, ſecta indies magis ac magis euaneſcat; ipſorum vero, qui ſectæ Principes ſunt & capita, conatus atque ſtudia, non modo felici ſucceſſu deſtituantur, ſed contra ipſorum vota ſemper cedant; quod manifeſtum ſatis indicium eſſe poteſt, Deum, qui

illo-

illorum conatus ſemper irritos reddit, proſperum eis ſucceſſum negans, minimè quoque harum nouationum authorem eſſe. Dicant enim mihi; Dux Bipontinus cum ſuo equitatu Germanico, quem in Franciam ad eam flamma igniqúe vaſtandam diripiendamque, hoc tamen prætextu, quaſi Religioni ſuccurſurus, introduxerat, quem exitum habuit? Heluetij & Geneuenſes, a Theodoro Beza ſolicitati inductique, vt Lugdunum & Lugdunenſem Prouinciam inuaderent, quo deuenernut? Matiſconenſe oppidum & Franciæ ciuitates aliæ, aſtu ab eis interceptæ, quid eſt, quod in eorum imperio & poteſtate non permanſerunt, ſi à Deo factū eſt, vt in eorum poteſtatem venirent? Catelnau, Renaudie, & Vilemougis, cæterique coniurationis ſocij, qui authore atque inſtigatore Caluino in necem adoleſcentis Regis conſpirârant, quem ſuæ coniurationis ſucceſſum inuenerunt? conatus quo euaſit? Certè euentus, fœduſque eorum exitus & mors ignominioſa amplum ſatis teſtimonium perhibuit, à Deo non fuiſſe miſſos, ſicut Iehu miſſum ad tollendum Achab & omnem eius progeniem internecione delendum, liber 4. Reg. cap. 9. commemorat. Poltrotus, qui ſuaſore Theodoro Beza apud Aurelianum, nobilem, generoſum, & ſtrenuum Principem, Franciſcum Lotharingum, Guiſiæ

K Ducem

Ducem per fædam proditionem ex inſidijs aggreſſus occidit; ſi Deus ei huius conſilij auctor fuit, cur non euaſit ſaluus, ſicut Deus Aioth, qui Eglon Regem Moab interfecerat, eripuiſſe in lib. Iudicum, 3. cap. legitur? Denique pacis & publicæ tranquillitatis illis hoſtibus, qui contra Regnum ipſiuſque Regis ſui, cui ex ſacramento, quo ei erant obſtricti, obedientiam & fidelitatem debebant, vitam nefarie coniurauerāt, quā fauſtus D. Bartholomęi, Anno gratiæ 1573. feſtus dies illuxit? Abſit verò, vt probem multis bonis & innocentibus tum illatam necem, eamque ſtragem, quæ diaboli fraude atque malitia per certa Franciæ loca oppidaue nimis quàm crudeliter edebatur: hoc tamen conſtāter atq; liberè profitebor, quicquid ſiue ſentiant, ſiue ſcribant nonnulli, Caluinianam ſectam profeſsi, neque illis viciſsim, qui fidem fallant & ſanctè promiſſa non præſtent, officiumque deſerant, quæ promiſeris ſeruanda eſſe. Quod reſtat, omnes ego, qui Dei ſpiritu aguntur, cuiuſuis etiam ſtatus ſint atque ordinis, rogatos atque obteſtatos volo, vt aſsiduo pioque ſtudio Deum ſedulo precentur, vt veros is doctores legitimoſque paſtores, qui ſalutis viam ſincerè monſtrent, & ab omnibus Eccleſiæ agrum erroribus abuſibuſque repurgent, Eccleſiæ ſuæ donare dignetur, Regi quoque noſtro cæteriſque

que Regibus ac Principibus omnibus ſanctum ſuum ſpiritum largiatur, ſapientiamque ad diuinam eius, æquiſsimamque voluntatem cognoſcendam inſtillet, eique vt obedire, ac in officio, in Dei timore, veraque religione ſubditos continere queant, ſua gratia aſsiſtat atque adiuuet. Cui Deo, creatori, redemptori & ſaluatori noſtro, ſit gloria, honor atque laus in omne æuum. Amen.

FINIS

08.